



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Orator Christianvs Caroli Regii E Societate Iesv

Reggio, Carlo

Romæ, 1612

Tertia Pars Concionatoris prudentia, & industria.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68672](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68672)

PARS TERTIA CONCIONATORIS

Prudentia, & Industria.

LIBER NONVS.

Diuisio huius Tertiæ Partis.



Iacob. 3.

ORATORI Christiano adeo necessaria Discretionis virtus, atque prudentia est, vt meritò illud Sancti Iacobi in eum conueniat, si quis in verbo non offendit, hic perfectus est Viri. Hæc causa fuit cur à cæterarum virtutum tractatione, de quibus in prima parte disserui, hanc præcipue separandam duxerim, & huic Tertiæ parti referuarim. Absoluetur autem Tertia hæc pars duobus libris, quorum alter erit de Prudentia, quæ tum circa se, ipse vti Concionator debet, tum de ea, quæ erga Auditores. Postremò circa materiam ipsam in triplici via. Alter verò de Industrijs aget, quibus orator vtetur ad fructus ex concionibus hauriendos. Eritque hæc Tertia pars veluti cæterarum partium Appendix; quare licebit mihi præter institutionem, etiam aliqua interferere, quibus prudentis Oratoris Industria possit adiuuari.



Quam sit necessaria prudentia Oratori. Cap. Primum.

Discretio, ut B. Antonio placet, maxima virtutum est, ut
 quæ omnium humanarum actionum mensura sit, dux, & *Cass. Coll.*
 arbitra: D. Bon. & Ber. super Cant. Discretio, ait, non tam *2. Abb.*
 est Virtus, quam quædam moderatrix, & auriga virtutum, *Moyssis c. 2*
 quædam affectuum, & morum doctrix, Tolle hanc, & virtus *In Pbar.*
 vitium erit, eoque magis necessaria est Christiano Oratori, *l. 2. c. 27.*
 quo gravius est concionandi munus, magisque publicum, & plu-
 ra ut ritè præstetur requirit; nam per imprudentiam multa
 peccantur, quæ facile auditores multi animaduertere, atque
 adeò ipsis oculis conspicerere possunt, & experimento constat
 hanc ob causam multos multorum censuræ, & obtreccionibus,
 ne dicam risui expositos esse. Atque equidem sic existimo, ex
 omnibus disciplinis, & artibus nullam esse quæ maiori pruden-
 tia, & consilio egeat, quam hæc concionandi facultas; quanti
 enim consilij est de rebus gravissimis vnum dicere, promiscuo
 audiente populo, atque ita temperare dictionem non solum, ut
 ingenijs, auribus, ac Iudicijs satisfiat, sed etiam aptè ad pro-
 positum finem congruenter, loco, auditori, temporiq; dicatur;
 quoniam cæterarum actionum homines spectati, & probati, ut
 est apud M. Tullium; si quando aliquid minus benè faciunt,
 quæ solent, aut omnino noluisse, aut valetudine impeditos nõ
 potuisse consequi id, quod sciunt, putantur. Oratores non itè,
 itaq; excusationem vix vllam inveniunt. Verum enimvero quæ
 necessaria prudentia in hoc munere est, tam difficulter doceri
 potest præceptis & institutionibus, à natura enim maxima ex
 parte pendet, & quodã rectè existimãdi de singularibus rebus,
 prout usus fert, innato iudicio. Eloquentiæ fundamentum meritò
 prudentiam statuit idem Tullius, quàm facultate præclaram
 arte mediocrem confitetur. Qui illud etiam rectè docet sem-
 per eloquentiæ moderatricè fuisse auditorum prudentiam, si
 quidè ea debet esse Oratoris prudentia, ut ad auditorum pruden-
 tiam, ac rectum Iudicium sese accomodet. Principio igitur il-
 lud ego adnotarim multum referre, ut prudens Concionator do-
 tes sibi à natura inditas in dicendo bene cognoscat, atque eas
 arte, & Industria perficiat, nihilq; supra vires, & ingenium au-
 deat. Aliqui firma latera, ac vocè robustam habent, hi in gene-
 re contentioso persistant. Quibusdã genus dicendi fufum con-
 gruit, alijs magis cõcisum, & interruptum. Hi feruntur natura
 ad affe-

Prudentia in Oratore summa necessitas.

Prudentia difficilè docetur.

Suas vires cognoscat Orator.

ca-
pru-
i la-
ver-
Viri
vir-
pri-
e fe-
ertiz
obus
ip-
res.
o de
ioni-
m-
em-
ndu-

ad affectus lenes excitandos, illi ad vehementiores, nonnulli idonei magis ad docendum sunt, quã ad commouendos animos. Multum igitur refert, si benè se ipsum quisque, & quid valeat, & quantum ex omni parte dignoscatur, & in eo se maxime genere exerceat, in quo proficere plurimum possit, hæc autè sui notitia ad hoc etiam valde proderit, ut se ipsum, vel moderetur, vel vigeat. Qui natura sunt vehementiores, ac liberiores in dicendo, debent sibi modum adhibere, cum præsertim in vitiis, scelestosque homines inuehantur, ne discretionis limites excedant. Memini me audisse Concionatores, qui cum essent naturæ feruidioris, dum peccata arguebant, eo ferebantur impetu, ut sensibus penè abalienati, multa dicerent per amplificationem, quæ multorum aures, & animos offendebant, quin etiã Viris sensatis adeo fuere graues, ac molesti, ut aliquando coacti fuerint superiores ipsorum silentium indicere, vel in alias Ciuitates amandare. Qui autem natura sunt remissi, ac lenti, in quibus non est bilis, sed phlegma dominatur; debent quibusdam quasi calcaribus se ipsos excitare fortius, & audacius loqui. Hanc planè prudentiæ noticiam in Christiano Oratore optimè docet nos D. Paulus, qui Titum monet, ut arguat cum omni Imperio. Timotheo autem præcipit, ut arguat cum omni patientia. Quid est, ait Gregorius, quod vni imperium, alteri præcipit patientiam, nisi quod alterum lenioris spiritus, alterum verò feruentioris esse conspexit? leni per authoritatem iniungenda erat seueritas imperij, Is autem qui spiritu feruebat, per patientiam temperandus fuerat, ne si plus iusto effrueretur, non ad salutem vulnerata reduceret, sed sanata vulneraret.

Auditorum ingenia cognoscenda. Secundo ad prudentiam Concinatoris pertinet non solum se ipsum, ac vires suas habere perspectas, sed etiam Auditorum mores, & ingenia explorare sedulo, & pro eorum modo, seque, suaque omnia comparare, ut inde fructum percipere vberiorè possint; Vnde idem Greg. pensare (inquit) doctor debet, quid loquatur, cui loquatur qualiter, & quantum loquatur. Si enim vni horum defuerit, locutio apta non erit & affert illud Leuit. si rectè offeras, rectè autem non diuidas, peccasti. Recte offert Concinator, si accedat cum bona intentione, sed non rectè diuidit, si discretionem careat, Et alibi, Debet (ait) subtiliter is qui docet, perspicere ne plus studeat, quam ab audiente capiatur, prædicare, debet enim ad infirmitatem audientium semetipsum contrahendo descendere, ne dum paruis sublimia, & idcirco non profutura loquitur, se magis curet ostendere, quam auditoribus

Hom. 11. in Ezech.

Lib. 20. Mor. c. 2.

toribus prodesse. Non cuiusvis est ò Viri, (inquit Nazianz.) differere, non inquam cuiusquam est, non adeo vilis, ac protrita hæc res est; & eorum qui adhuc humi reptant. Addam etiam, non cuiusvis temporis, nec apud quosvis, nec de quibusvis, sed certo tempore, & apud certos homines, & aliquo vsu hoc faciendum est.] Hæc & plura egregiè in horum explicatione, Nazianz. quibus manifestus sit error eorum qui difficiles quaestiones ex Scholastica doctrina depromptas multitudini proponunt. Si enim ipsimet Theologiæ studiosi post multas disputationes, & retractationes capere eas vix possunt, quorsum in populari concione tractantur, nisi demum id agitur, vt hi qui concionantis doctrinam percipere non potuerunt, existiment videri esse eum raræ eruditionis, atq; ingenio peracutum. Alter Greg. Concionatores cõparat gallo, cui Deus dedit intelligentiã, vt discernat noctis horas, antequã fundere cantus incipiat; & doctõri datur virtus discretionis, vt aduertat quid, quibus, quando, quomodo instruat.] Aug. etiam Angeli Dei sunt prædicatores veritatis, qui in schala Iacob ascendebant, & descendebant; ascendunt, vt erigant magnos; descendunt, vt nutriant paruos. Vide ascendentem Paulum, siue mente excedimus Deo, Vide descendentem, siue sobrij sumus vobis; Vide ascendentem, Sapientiam, loquimur inter perfectos: Vide descendentem, lac vobis potum dedi, non escam.] Riccar. de S. Viç. sic explicat illud Apoc. 11. Metire templum, & altare, & adorantes in illo, docet nihil aliud esse, quam semetipsum auditorum intelligentiæ accommodare. Quod etiam Christus innuit illis verbis, quis est fidelis seruus, & prudens, quem constituit dominus super familiam suam, vt det illis in tempore tritici mensuram? In quæ verba Greg. Exprimatur (ait) modus verbi, ne cum angusto cordi incapabile aliquid tribuitur extra fundamentum, & confirmat ex 1. Cor. c. 3. & Exod. 34.

Debet Concionator medicũ imitari pro varietate non morborum tantum, sed habitudinum cuiusque diuersa remedia, ac medicamenta comparantem. Nam ille planè imperitus sit, qui omnibus vno eodemque collyrio mederi contendat. Imitare D. Paulum, qui admirabili, ac diuina, qua præditus erat sapientia & prudentia, omnibus ita accommodare sese studebat, vt diceret omnibus omnia factus sum, vt omnes lucrifacerem, quasi quidam Protheus spiritualis in varias sese figuras, atque ora conuertens, doctis, & indoctis (aiebat) debitor sum: græcis, & barbaris; nec secus, vt quoddam speculum omnes in se-
rerum

Orat. 1. de
Theol.

Imprudencia
quorundam,
qui difficiles
quaestiones
tractant.

3. Mor. c. 4.

In Psal. 44
Gen. 28. 11

2. Cor. 3.

1. Cor. 2.

1. Cor. 3.

Luc. 12.

3. p. pass.
c. 5.

1. Cor. 9.

Lib. 2. c. 13

Inst.

Prudentiæ est aliquando artis præcepta relinquere.

Loquatur ad rem.

In Cant.

serm. 23.

Nimius feruor est contra prudentiã.

In princ.

prou. Homil. 41.

Quatuor fontes prudentiæ concionatoris

rerum formas representabat, vt omnes ad Christum adduceret. Confirmant autem id præceptum etiam profani Eloquentiæ magistri, quorum Fabius in libro suarum institutionum docet, ad prudentiam spectare Oratoris, vt si quando iudicauerit expediens causæ, non sit astrictus præceptionibus artis. Res duas (inquit) in omni actu spectet Orator, quid decet, quid expediat, expedit autem sapere mutare ex illo constituto, traditque ordine, aliqua, & interim decet, vt in statuis, ac picturis videmus variari habitus, vultus, status. Tertio ad prudentiam item pertinet, vt non solum bene loquatur, sed etiam ad rem, de qua sermonem instituit. Vetus narrat historia, quod cum quidam disertè diceret ferreturque volubilitate verborum, causamque omnino non tangeret, prudens auditor, ac Iudex bene (inquit) bene, sed quorsum istud tam bene? Quarto Bernardus discretionem hanc requirit, ne immoderato feruore plus æquò excedat. Discretionis virtus ait absque Charitatis feruore iacet, & feruor vehemens, absque discretionis temperamento præcipitat, feruor ergo discretionem erigat, & discretio feruorem regat. Quinto facit etiam ad rem doctrina Basil. vbi docet duplicem esse prudentiam, alteram falsam, quæ verusutia est, pronior ad proprium commodum, & ad simpliciores, credulosque decipiendos, & habet sermonem variū, artificij plenum ad ea tantum, quæ colloquentibus placent: sed vera prudentia est cognitio eorum, quæ agenda, vel nõ agenda sunt, quam qui ritè sectatur, nunquam ab officio virtutis abscedit, & habet sermonem sobrium, simplicem, atque vniforme. Denique aio hanc prudentiam ex quatuor pendere veluti principijs ac fontibus. Natura, Doctrina, Experientia, & Consilio virorum prudentum: in hoc enim munere nemo sibi ipse est satis. Vtendum igitur libenter consilio sapientum, & Auditorum, quia plura vident oculi, quàm oculus; & melius alienæ aures de nostris vocibus, quàm nostræ iudicant. Quia tamen non est omnium rectè iudicare sapereque accidit, vt quod alter probat, improbet alter, delectus adhibendus est eorum, quos consultamus, vt prudentes pijquè sint, & liberè moneant.

Ecclesia Canones ad Concionandi Officium spectantes. Cap. II.

ANtequam ea quæ ad Christiani Oratoris prudentiam faciunt exponam, operæpretium futurum esse reor, si Conciliorum summorumque Pontificum decreta piè, ac religiose sancita,

sancta, quæ ad hanc rem, de qua agimus pertinent, vnum veluti sub aspectum proposuero, vt sint fideli obedientiq; Concionatori, pro regula, norma; sanctæ prudentiæ, & quoniam quæ pertinebant ad Ius potestatemq; legitimam concionandi in prima parte dicta sunt hunc in locum, quæ supersunt præterea congeremus. Supradiximus ex Patribus, & Concilijs, atque adeo ex sacrarum literarum autoritate, quam sit Episcopis munus hoc proprium. His atque alijs Ecclesiarum Rectoribus, qui moderandis gubernandisque animis præsunt, præcipit Tridentina Synodus, vt nimirum Dominicis, festisque diebus, qui solempni ritu coluntur palam, sermões habeant. Quod si minus Parochi munus suum peragant, ad Prælatos pertinere, sacrosanctum Concilium decernit, vt eos cogant, & in eos, etiam si se solutos & exemptos dicitarent, modo extra Diocesium non sint, Ecclesiasticis censuris seuerius animaduertant, nisi post tertium mensem monitis paruerint, & beneficiorum redditibus, quæ possident alium inuent, qui eorundem loco ad populi Dei vtilitatem Concionetur. In Ecclesijs vero quæ subiectæ sunt Monasterijs sub nulla Diocesi existētibus, præcipit per Metropolitanum tanquam delegatum in hoc sedis Apostolicæ eos compellendos esse, qui curam gerunt animarum, vt idem seruent, & pueros etiam doctrinæ Christianæ rudimentis imbuant. Et vniuersè loquendo quicumque ex officio sunt Pastores, quorum est non solum vigilare super gregem, sed etiam eundem pascere ad hoc tenentur, neque alia indigent facultate, cum id eis ex officio incumbat. Nec solum sacerdoti, sed etiam Diacono conuenit si promotus fuerit ad aliquam curam animarum, vt docet Sylu. V. Prædicator. Mulieribus non conceditur, vt Paul. docet, & docent D. Thom. & Anto. Dat cau-
 sim Ambr. in Luc. quia constantia ad prædicandum, est inferior sexus, ad exequendum infirmior. Sanctimoniales possent aliquam habere exhortationem, vt matres etiam familias ad suos domesticos, neque enim hoc est munus prædicationis assumere, sed errantes docere, quod est Charitatis officium. Idem Conc. Trid. decreuit vt Regulares cuiuscunq; ordinis, nisi à suis superioribus de vita & moribus, & scientia examinati & approbati fuerint, Concionatoris officium exercere non possint, neque etiam in Ecclesia sui Ordinis. Itē teneri eos hac obēta facultate, se Epō sistere, & benedictionē petere antequā Conciones aggre-
 diantur, & si concionaturi sint in Ecclesijs, quæ non sunt luorū ordinū, præter facultatē superiorū, aliā ab Epō esse obtinendā.

Episcoporum munus.

Seff. 5. c. 2.

Caiet. v. mulierum peccata.

1. Cor. 14.

& 1. ad

Tim. 2.

Luc. c. 24.

Seff. 5. c. 2.

Examen.

Facultas Episcopi requirenda.

Quod

Quod præceptum in vniuersum sancitum est in Conc. Lateranen. vbi Innocentius Tertius statuit, neminem sine legitima facultate posse vsurpare diuini Verbi prædicationem, vt patet C. excommunicamus, extra de hæret. additq. eos qui prædicationis officium vsurpare præsumperint, excommunicationis vinculo innodari, & nisi quam citissimè resipuerint, alia pœna plectendos. Canon est non latæ sententiæ, sed ferendæ, & pœna erit ex arbitrio Superioris, vt ibi notat Glossa, quam Doctores sequuntur. Idem Conc. Trident. præcipit, vt nullus omnino, nec regularis, nec secularis contradicente Episcopo etiam in Ecclesijs suorum Ordinum, concionari præsumat.

Sess. 5. c. 2.

In eodem Conc. si concionator errores, vel scandala disseminat, Episcopum debere ei interdicare concionandi munus, etiam in Ecclesijs sui Ordinis. Addit vt Episcopi curent, ne quis concionator, vel falsis criminationibus, vel alijs per calumnias diuexetur. Ibidem ne patiat Episcopus aliquem in sua Diecesi concionari regularem, qui extra claustrum viuat, neque etiam Presbyterum secularem, nisi ipsi noti sint

In i. Clem. S. quibus, de priuil.

Detrahentes Prælati.

& moribus & doctrina probati. Clemens V. præcipit religiosi in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione maledictionis districtè inhibet, ne suis sermonibus Prælati detrahant, vel retrahant laicos ab Ecclesiarum suarum frequentia, & accessu, nec promulgent indulgentias indiscretas. Qui verò contra attentare præsumperint, subiaceant pœnis illis, quæ iuxta suam regulam vel statuta pro grauib. criminibus imponi consueuerunt, super quibus Superior dispensare non possit absque manifesta necessitate. Detractio hæc de Prælati intelligitur cum est nominatim vel expressè, vel ita, vt dubium non sit quin de Prælate sermo habeatur, & de hac detractioe dicitur in C. scientia. 2. quæst. 7. huiusmodi Concionatores damnari sententia Cham filij Noè, qui patri fuit iniurius, dum eius pudenda fratribus manifestauit. Idem Clemens excommunicationem latæ sententiæ fulminat in Religiosos, qui suis sermonibus, vel alibi dicunt aliquid eo animo, vt retrahant auditores à solutione decimarum, quæ verè debentur Ecclesijs, quæ planè excommunicatio incurritur, etià si effectus sequutus non sit. Ibidem præcipitur religiosi, vt certis diebus, si fuerint requisiti à Rectoribus Ecclesiarum, moneant populos de solutione decimarum. Leo Decimus in Concilio generali Lateranensi quatuor statuit: primo, vt concionatores explicent scripturas, iuxta Doctorem explicatio-

Genes. 9.

In Clem. cupientes, de pœnis.

Sess. 1.

Concilio generali Lateranensi quatuor statuit: primo, vt concionatores explicent scripturas, iuxta Doctorem explicatio-

nem, quam Ecclesia, vel vsus diuturnus comprobauit, neque quidquam contrarium afferant, vel à veritate alienum, aut falsum. Secundo, ne præsumant prædicare tempus præfuturorum malorum, vel de Antichristo, vel diem Iudicii, neque alia huiusmodi constanter asseuerare. Tertio, neque suas reuelationes, aut inanes diuinationes, aut miracula falsa. Quarto, vt abstineant ab Antistitum & Superiorum scandalosa detractione, coram laicis, neque abscondant verbum Christi inconfutibilem, & ponit excommunicationem ipso facto, & interdictum perpetuum à prædicatione, præter alias pœnas in iure constitutas. Sed eas censuras non fuisse receptas, probat Nauar. tamen res est grauis, periculisq. obnoxia, vt patet. Xistus Quartus excommunicat de facto eos, qui dicunt hæresim esse, vel peccatum mortale asseuerare B. Virginem conceptam esse sine peccato originali, vel contra esse in peccato conceptam. Quam excommunicationem reuocauit Conc. Trid. & Pius V. addit etiam pœnas suspensionis, priuationis, & inhabilitatis.

Peccata, quæ committi possunt in Concionibus.

Cap. I I I.

Adi hic etiam possunt præcipua peccata, quibus propriè Concionator in suo obeundo munere obnoxius est. Primo, quod iam dictum est si concionetur sine auctoritate, vel ordinaria, vel delegata, quod peccatum Caiet. sentit esse mortale, & colligit ex cap. excommunicamus. §. quia verò, extra de hæret. & ex Concil. Lateran. sub Leone X. vbi sub pena excommunicationis id prohibetur. Secundo, si non satisfacit officio concionandi, omittendo concionem diebus Dominicis, & festis, quod peccatum non est mortale, nisi maxima negligentia intercederet, & populus ex omissione offensionem magnam incurreret. Tertio, si quis existens in peccato mortali concionetur, non præmissa confessione, vel saltem contritione, affirmavit Caiet. esse peccatum mortale, sed alij negant secluso scandalo, & contemptu. Sot. & Med. & idem Caiet. videtur reuocare sententiam. Quarto, qui mercenaria cupiditate Concionatoris munus exercet, vel turpi lucro, vel propter inanis gloriæ auram. Caiet. vbi supra, tunc ait esse mortale cum affectus respicit hoc tanquam vltimum finem, vel cupiditas pecuniæ vsque ad simoniam per-

Cap. 27. n. 10.

In extrau. Graue nimis, de rel. & ven. S. de Cõcept. B. Virg. Decreto de pecc. orig. in fine.

In extrau. sup speculam. Const. 119.

In Summ. verb. Prædicatoris peccat. Sess. 9.

In 2. 2. q. 187.

In 4. d. 9. art. 6.

Cap. de pœnit. q. 6. du bio vlt.

In Sum. v. prædicatoris peccatis.

P p venit, ta.

Mercedarius
Cóncionator.

2. 2. q. 100.

art. 1.

Simonia in
Concione

committi po
test.

Lib. 9. de

Iust. q. 5.

art. 1.

Quod. 8. q.

6. art. 11.

Mich. 3.

Mendacium
in Concione.

In Summ.

verb. pra-

dicatorum

peccata.

uenit, si verò non ita sit, sed adest aliqua vanitas inanis glo-

ria, vel inordinata cupiditas mercedis, est peccatum veniale

maius vel minus pro ratione desiderij. Quinto, est sententia

D. Thomæ, & communis Caiet. ibidem, Duran. Riccar. Adr.

Nauar. Sor. Viçt. posse contingere simoniam in concionando,

cum scilicet hanc actionem venalem habent. Nec est eadem

ratio, quæ est de scientia Theologiæ; nam hæc doceri potest

ob precium, ratio est, quia Theologia est scientia humano,

& naturali studio conquisita; at fides, quæ in concione docet-

tur, supernaturalis est. Nec obest, quod Theologia habet

principia supernaturalia fidei, & docet etiam fidem; nam,

secundum D. Thom. duplices sunt actus supernaturales, ali-

qui sunt tales ratione principij supernaturalis: verbi gratia,

Episcopo competit consecrare, benedicere; Diacono legere

Euangelium; & tales actus vendere est simonia, & huiusmodi

est prædicatio quæ natura sua supernaturalis actio est, &

Hierarchica, ad salutem animarum, & vitam æternam à Deo

instituta. Alij sunt actus supernaturales ex parte finis non-

principij, vt est legere Theologiam, quod licet ordinetur ad

rem spiritualem, tamen ipsa naturalis scientia est; neque enim

est simonia vendere rem naturalem, etiam si ordinetur ad fi-

niem supernaturalem, nisi Ecclesiæ constitutione prohi-

beatur.

Illud esset potius hæc tempestate deplorandum, plerosque

ob temporalis lucri spem, huic sese concionandi muneri ad-

dicere, & sibi ambire loca, & pulpita vbi fama sit, meliores

expensas, & maiora lucra sibi obuenire, eaq. varijs modis

obtendere planè contra diuini Verbi dignitatem, maius hoc

arbitror esse malum, quam vt à me paucis dici possit. Con-

queritur Deus, quod Sacerdotes in mercede docerent, & Pro-

pheta in pecunia diuinarent. Saltem illud vtinam experien-

tia non satis constaret, huiusmodi concionatores lingua po-

tius & ornato verborum, quam ex affectu cordis verba face-

re, nec tam laborare, vt animas ad Deum reuocent, quam

vt prurientes delectent aures. Ex quo etiam & illud satis est

manifestum, auditores oscitanter ac perfunctoriè eos audire,

ieiunos, ac sine fructu post multarum concionum auditionem

remanere, sed hæc obiter ex occasione dicta sint. Sexto, om-

ne mendacium in concione esse peccatum mortale, sensit Ca-

ietan. quod non est verum, nam mendacia in citando, vel au-

ctores, vel loca, non sunt talia; si autem esset contra mores,

aut

aut fidem, vel falsa narrarentur miracula, aut ficta reliquia proponerentur; tunc esset peccatum mortale ex Concilio Lateranensi sub Leone X. & Navar. Septimo, esset peccatum mortale predicare propositiones erroneas, temerarias, ac scandalosas, piarum mentium offensivas. Octavo, sacra Scripturae verba ad prophana convertere, ad scurrilia, & fabulosa est contra Decretum Concil. Trident. de usu sacrorum verborum, quod omnibus in communi prohibitum est; quanto magis esset intolerandus error, si in publico suggestu coram populo imprudentissimus, ne dicam impudentissimus id faceret predicator, quod esset sacrarum Scripturarum diuinam maiestatem, & sacrosanctam Spiritus sancti earum auctoris auctoritatem, atque adeo prophanare. Esset denique peccatum veniale, & aliquando posset ad mortale pertinere, si quis tempus in nugis, & facetijs, & quaestionibus inutilibus tereret, vtilibus omisis.

quam in rebus, & verbis consideratus Concionator esse debeat.

Cap. IV.

Am vero, vt huius prudentiae quasi partes, quas paulo ante posui singillatim exponam, ab ijs exordiar primum, quae ipsam Oratoris personam magis attingunt. Atque hoc primo loco praecipuum sit, vt noster Orator, singula quae dicitur est, secum ante sedulo, & accuratè perpendat; nec solum sententias rerumq. momenta, sed verba ipsa diligenter ad trutinam exigat. In tanta enim auditorum frequentia, cum primis est cauendum, ne quid inconsideratè, ac temerè excidat, cum tot sint ferè censores, ac iudices, quot auditores. Volat autem irreuocabile verbum, nec rarò perniciosior est lapsus linguae quam corporis. Et sanè diligenter considerandum est illud Antonij ex Tullio praecipuum, plus enim habet in recessu vsuq. momenti, quam prima specie videatur, quod Oratori maxime cauendum, & providendum putat, ne quid causae obsit, permulta esse in omni parte orationis circumspectienda, ne quid offendat, ne quo irruat. Ac demum quid multa, inquit, omnis cura mea solet in hoc versari semper (dicam enim sapius) si possim, vt boni aliquid efficiam, sin id minus, vt certè ne quid mali. Quod si vehementer cauendum est Oratori prophano; quanto magis sacro, tam bonas tractanti, tamq. graues causas. Ob id quaedam subtilius adnota-

P p 2 tanda

Cap. 25. n. 142.

Verba Scripturae ad scurrilia convertere pessimum. Sess. 4.

Prudentia, circa personam Oratoris.

Præcogitet singula quae dicitur est.

2. de Orat.

tāda sunt, quæ ad hanc prudentiam Ecclesiasticā iter præmuni-
 niant. Ac primū cum loquendum de Deo est, de Christo Serua-
 tore, de Beatissima Virgine, & Sanctis, ita decorum seruandū
 est, vt nullum excidat ex ore verbum, non modo à Dei cultu,
 & veneratione, & sanctorum dignitate alienum, sed ne tanta
 quidem maiestate indignum. Quidam comparauit Deum,
 abiectæ cuidam volucri, quæ in foramine abscondita videt, &
 non videtur, cum veller explicare quemadmodum Deus nos
 videat, & ipse à nobis non videatur. Alius nescio quis, Deum
 Patrem carnificem filij sui fuisse dixit in eius Passione. Alius
 parabolam filij prodigi ad Christum accommodans, explica-
 bat etiam quomodo pasceret porcos, quomodo omnia con-
 sumpsisset luxuriosè viuendo. Hæc ego non ingenij acumina,
 & subtilitates vocem, sed imprudentis hominis ineptias. Ec-
 clesiæ Doctores, præsertim verò quos illa celebrat, dignum est
 honorificè nominare Sanctorum appellatione, vel alijs hono-
 rificis titulis appositis, non enim parem debemus facere Ari-
 stoteli Diuum Augustinum, aut sanctum Chrysostomum Cice-
 roni. Cum turpia in peccata dicendum est, vel de quacum-
 que alia materia sordidiore, multum modestiæ, verecundiæ,
 & prudentiæ adhibendum est, ad rerum, verborumq. delectū,
 & obiurgandi rationem, ne auditorum animis fœdæ imagines
 obiiciantur, neve ij qui in tenera ætate versantur, quæ prius
 ignorabant, addiscant. Neque etiam in explicatione locorum
 aliquot Scripturæ sacræ, vbi de rebus ad amorem pertinenti-
 bus agitur, qualia in Canticis sunt, oportet ad minutas ni-
 mis, & enucleatas rationes descendere. Etenim ea est ali-
 quorum peruersitas, vt etiam è salutaribus pharmacis, vene-
 num hauriant ad mortem; adeò vt S. Prosper dicat, antiquo-
 rum decreto fuisse pluribus interdicitam quorundam sacro-
 rum librorum lectionem, ne aniri contaminarentur, quod
 olim apud Sapientes etiam Hebræos lege cautum fuisse, san-
 ctus Nazianzenus refert, vnde quanta est fomitis nostri cor-
 ruptio, tanta fuit sanctorum cautela, vt contra vitium in-
 continentiæ magno zelo agerent, sed magna sobrietate, &
 castitate, & grauitate in loquendo vterentur. Vituperantem
 aliquando peccata incontinentiæ audiui quibusdam sub tro-
 pis, & allegoricis verbis, quæ multo nocentius castas aures
 offendeant, quam si apertis vocabulis vsus esset; nam ima-
 ginatio diutius immoratur, & hæret in applicatione earum
 rerum, quæ sub allegoria significantur. Iure item quidam
 repre-

Cum honore
de Deo, &
Sanctis lo-
quendum.

Peccata tur-
pia verecun-
dè arguenda,
sed cū zelo.

Lib. 3. c. 6.
de vita cōr.

Orat. de mo-
derat. in
diss. seruū
da.

reprehensus est, qui cum laudaret D. Thomæ Aquinatis integritatem, describeretq; prostitutæ mulieris historiam, quæ ad eius pudicitiam labefactandam immissa est, enarrabat verba, & colloquia, quibus impudica fœmina constantissimi iuuenis animum in suam sententiam pellicere conabatur. Neque placet quod aliqui Concionatores faciunt, vt sæpè conuertant se ad mulieres, & sermones ex suggestu habeant de eorum pigmentis, pompa, atque ornatu, præsertim cum id per facetias, & quendam leporem factitant, nam præterquam quod eius loci grauitatem nihil nisi serium, seuerumque, ac sanctam decet, facile est in aliquid impingere, quod possint Auditores in malam partem interpretari. Adde quod nec fructus inde quicquam colligitur. Nam in istis rident viri, mulieres verò ioci gratia dici arbitrantur. Abstineant igitur omnes ab huiusmodi nugis, quæ multò magis in Concionatore luene vitiosæ, damndæq; sunt. Præterea boni Concionatoris exigit prudentia, vt provideat ne quid damni ex eius verbis tamen veris colligere Auditor per aliquam confectionem possit, vt si quis dicat Confessionis præcepto non obligari populum, nisi semel in anno, afflictationes corporis, saculari præceptas non esse, nec viris coniugatis contemplationem; Christiano satis esse præcepta Dei seruare, quæ ad salutem sunt necessaria, licere corpus delicatè tractare, modò sit in rebus licitis, quæ nequaquam sint contra Dei præcepta, ieiunia quæ non Ecclesia præcipit, & alias voluntarias pœnas, licet bonæ sint, non tamen esse necessarias, neque in his perfectionem consistere, Deum cor maximè quærere à nobis, & virtutes internas, ac similia. Hæc quamquam verè dici possint, tamen occasionem inde sumunt multi non magni ea faciendi, contra potius curandum est Concionatori, vt ad ea rectè omnes afficiantur. Cum enim post peccatum & corruptam naturam, tanta in homine procliuitas ad mala remanserit, opus habet his asperitatibus ad remedium, sicut qui ex graui morbo emerfit, nisi præcipua se custodia, ac diuina tueatur, facillè in morbum reuoluitur. Et licet verum sit in his externis pœnitentijs non sitam esse perfectionem; tamen certum est instrumenta ad eam esse, & à sanctis viris in eum finem adhibitas. Eodem modo, qui diceret iurandum esse licitum, atque actum Religionis, & sanctos iurasse, neque adderet aliud, hic occasionem præberet multis facillè iurandi, cum deberet potius docere non esse iurandum, nisi in graui

Cautela maxima in his, quæ dicuntur adhibenda.

necessitate, summaque cum reuerentia. Caueat ne significet aliquid quod ex confessione habet; licet enim non sit reuelare confessionem cum illud est tale, ut nullo modo sciri possit, tamen aliqui offenduntur, & possent credere facile, quia in confessionibus audiuntur referri, aut manifestari. Sit ergo in omni sententia Concionator maximè cautus, & omnem fugiat ambiguitatem. Hic etiam addiderim, ut cum Matrimonium laudat, semper aliquid de excellentia castitatis atterat, cum de prædestinatione agit, etiam liberi arbitrij, cum de libero arbitrio, gratia faciat mentionem, cum vitia prauorum Sacerdotum castigat, de Sacerdotis dignitate aliquid adiungat. Cum vitæ religiosæ laudes celebrat, dicat etiam coniugatos bonos saluari, cum Dei prædicat misericordiam, adnectat aliqua de iustitia contra eos qui misericordia abutuntur, ac vicissim ubi Dei aduersus peccata seueritatem demonstrat, sermonem de misericordia inferat, ut contraria cõtrarijs moderetur. Huc illud pertinet, ut nihil admisceat, quod improbi perperam trahere possint in malum sensum ob difficultatem, vel obscuritatem. Si verò inter concionandam aliquid dictum sit, quod falsum esse post dimissam concionem cognouerit, debet omnino alia Concione corrigere, ne falsa doctrina auditorum animis hæreat, neque id debet esse mirum, cum Concionatores sicut alij homines errare possint, quam cautionem his verbis docet August. plerumque nos ipsi recolentes, quæ dixerimus reprehendimus aliquid, ita curandum est, ut illi sensim corrigantur, qui non Dei verbis, sed planè nostris in aliquam lapsi sunt falsitatem.] Ibidem docet quando aliquod verbum ob asperitatem vel nouitatem, aut quia male intellectum est, offendit Auditores debere curare Concionatorem (si Auditor sanabilis est) ut quamprimum auctoritatum & rationum copia, sine vlla dilatione sanetur.] Quantum vero ad sententias, & res, multa sunt quæ non debent è suggestu Auditoribus proponere, aut de illis differere, vel quia sunt falsa, vel quia periculosa, vel quia male sonantia, vel quia possunt magis offendere aures populi, quam ad pietatem excitare. Hæc enim allata coram promiscua multitudine imprudenter, & absque matura consideratione, non solum damnum, aut errorem in Auditoribus generare queunt; sed ipsi concionantis personæ, magnam possunt imprudentiæ notam inurere, & ob eam causam hoc loco à me nonnulla afferentur exempla, ubi de prudentia ad Oratoris nostri personam

Si quid male dictum, quo modo corrigendum.

De cathedra. rud. e. 11.

sonam spectante agitur quamvis etiam ad materiam reuocari potuissent, quorum similitudine, & alia huiusmodi penitus esse præcauenda, & effugienda intelligat; sæpè enim vidimus Concionatorum sententias aliquas dictas; ad sacrum Inquisitionis tribunal fuisse delata, & meritò ipsos vel punitos, vel reprehensos ob nimiam licentiam, ac loquendi temeritatem.

Sententia, ac Doctrina, quæ in suggestu à Concionatore disputanda non videntur. Cap. V.

Primo loco tanquam basim eorum, quæ hoc capite proponimus, statuimus verba Concil. Trident. in decreto de Purgatorio, ubi hæc dicuntur, Apud rudem plebem difficilius, ac subtiliores quæstiones, quæque ad ædificationem non faciunt, & ex quibus plerunque nulla fit pietatis accessio à popularibus concionibus secludantur. Incerta item vel quæ specie falsi laborant, euulgari ac tractari non permittant; Ea verò quæ ad curiositatem quamdam, aut superstitionem spectant vel turpe lucrum sapiunt, tanquam scandala, & fidelium ostendicula prohibeant. Super hac sacrosancti Concilij doctrina innixi multas afferemus, quæ occurrunt sententias, quæ secundum hanc Concilij censuram, vel prætermitti omnino, vel leuiter tangendæ videntur in nostris popularibus Concionibus. Primum non expedit de concordia prædestinationis, ac liberi arbitrij agere, cum hæc veritas non facile possit tractari populari modo. Non agatur an prædestinatio sit ex præiudicatis meritis, nec ne. Cur hic sit prædestinatus non ille; an prædestinatus possit reprobari, vel contrà reprobatus saluari; hæc enim vix Theologi intelligunt. An ad eum peccati statum homo peruenire possit, ut Deus deneget auxilium suum; An liberum arbitrium possit omnia, vel aliqua opera moralia præstare, sine auxilio speciali; An facienti quod in se est per liberum arbitrium, Deus det infallibiliter gratiam, & quomodo, Cur Deus permittat peccata, quæ tamen posset impedire: Nunquam disputet, nec proponat quæstiones examinandas circa res, quæ in symbolo Apostolico continentur; sunt enim hi articuli Christianæ Religionis prima principia, quæ non debent in disputationem vocari apud Christianos, sed tantum explicari. Neque est necessarium, aut vtile disputare de prouidentia Dei, eo modo, quo solet agi contra infideles eam negantes, sed satis est docere ad fiduciam ingenerandam.

P P 4 dam.

dam. Philosophorum antiquas sententias multis iam annis per antiquos Patres explicatas, & expofas in medium non proferat, non curet dicere secundum Aristotelem, mundum esse æternum, vel animam ex eiusdem sententia esse mortalem, cum immortalem esse Aristoteles potius doceat. Nunquam dicat secundum philosophiam aliquid esse contrarium fidei nostræ, nam veræ philosophiæ, nihil habet fides contrarium, cum verum vero non repugnet. Non vocet in controuersiam, an mendacium officiosum sit licitum, nefas enim est affirmare illud licere, sicut neque defendi potest hominem in hac vita posse peruenire ad Apathiam, Non disputetur iam de facto Paradisus terrestris; Disputare de substantia, & existentia Christi in festo Incarnationis ex proposito, non est popularis materia, & an in Christo fuerit humana existentia cum in Scholis hæc quæstio tractanda sit, non coram populo, nisi quis obiter pauca delibaret. In quo consistat ratio formalis peccati originalis, & qua ratione in posteros Adæ transfundatur seriò disputare coram populo non videtur conueniens. Item An melius vel deterius sit esse in Inferno, quam omnino non esse. Efficacia gratiæ in quam re sita sit. Plures Christianos saluari, quam non saluari non credo esse veram sententiam, & sancti Patres Augustinus, Chrysostomus, & alij, contrarium potius docuerunt. Cambia Bisuntina, & Nundinalia vt modò sunt esse illicita vel licita; ne labore statuerent. Cum enim ex multis conditionibus, & disputationibus hæc pendeant, arduum, ac difficile videtur præcisè aliquid audiente multitudine pronunciare. Nec videtur tractandum non teneri peccatorem statim conteri, posse autem aliquem nolle conteri, non tamen posse velle esse in peccato; quis non videt hæc argutias esse à plebis auribus prorsus abhorrentes; Nec facillè statuat nisi in re satis manifesta, aliquam actionem esse peccatum mortale, cum sæpe multæ conditiones ad hoc requirantur, satis ad rei pòdus est dicere graue esse peccatum. Item an ad sacramentum confessionis sit necessaria perfecta contritio, quamuis id aliqui affirmarint non tamen videtur proponendum: sicut illa sententia, quæ affirmat occasiones aliquas peccandi, etiam si sint proximæ non impedire confessionem, Cum antiquiores contrarium docuerint. Non debet ita inuehi contra negociatores, vt dicat aliquo modo mercaturam esse illicitam; Angelos habere corpora subtilia, & aerea, quidam veterum Doctorum senserunt ta-

men

men omnino contrarium est tenendum esse incorporeos, Cœ-
 los non esse plures non est dicendum, licet aliqui antiquorum
 ita sint locuti, Nec est dicendum hominem per peccatum ima-
 ginem Dei amittere, cum imago si propriè loquamur, sit se-
 cundum substantiam naturæ, similitudo autem quæ in gratia
 consistit amittitur, Omnia opera infidelium moralia, esse
 peccata, est Caluini hæresis. Ignem inferni esse metaphoricum
 non potest dici. Petrus negans Christum, non potest verè ex-
 culari à peccato, licet D. Ambros. excuset. Peccatores qui sunt
 in peccato mortali habentes fidem Ecclesiæ, non esse eius
 membra dici non potest. An fuerint tres Magdalena, inutile
 est differere in concione; Communior sensus Christianorum
 unam agnoscit sororem Lazari, & peccatricem. Posse dari ab-
 solutionem sacramentalem absenti per literas, prohibuit
 Clemens VIII. summus Pontifex. Eucharistiam susceptam in
 peccato mortali scienter, postea ex opere operato suum ha-
 bere effectum, cum hominem pœnitet sui peccati, puto esse
 falsum. De causis Indulgentiarum ad valorem necessarijs,
 non videtur nimis exactè agendum. Omnes Apostolos in Pas-
 sione Christi fidem amisisse, non credo esse verum, An homo
 teneatur remittere iniurias in foro exteriori, non est causa
 tractanda in populari suggestu, nam licet pars negans possit
 locum habere, tamen potest esse occasio fouendi inimicitias,
 his qui potius ex odio, aut ira accusant, quam ex alia iusta
 causa, hæc & similia melius, ac tucius tacentur in Concioni-
 bus, quàm disputantur, tum quia ipse res non videntur scitu
 necessaria, tum quia difficilè est eas. ita consideratè enuclea-
 re in populari conuentu, quin aliquod verbum effugiat, quod
 minus cautè vel fundat orator, vel accipiat auditor, quare
 quod initio monui, rursus inculcabo, non ex mea solum, sed
 omnium sapientum sententia, vt Concionator non solum res,
 præmeditatur, atque diligenter perpendat, sed etiam dicendi
 modos, & phrasas, ac verba, præsertim in rebus, quæ maiori
 consideratione indigent, neque facile inter dicendum, quæ
 tunc primum occurrunt effundat, alioquin continget, vt vbi
 impetus ille refederit, meliusq. rem considerauerit multa
 cum dixisse pœniteat, posteriores quippe cogitationes, vt est
 in prouerbio sapientiores sunt, & sanè sapientis non est dice-
 re non putaram. Dandum tamen aliquid in hac parte Con-
 cionatoribus antiquis, rectèq. in hac facultate versatis, si mo-
 do, & hi iudicio satis maturo polleant, nec sint in loquendo
 præci-

Nō facile di-
 cat, quæ dicē
 do occurrūt
 non præme-
 ditata.

præcipites. Caterum communis regula tenenda plurimum est ijs præsertim, qui magis ingenio, quam Iudicio præditi sunt. Estq; hæc doctrina tutior secundum quam rectè exponitur illud Psalms verbum: Vanum est vobis ante lucem surgere, surgite postquam sederitis. Illi certè ante lucem surgunt, qui inutiliter verbum proferunt, quod qualiter profecti debeat nulla meditatione didicere, vnde consilium datur, surgite postquam sederitis scilicet, vt per quietem meditando verbum colligant, quod per laborem locutionis non in vanum, sed in audientium lucrum spargant Greg. sic ait, Quic-

Psal. 126. quid in subditorum profectu doctor exhibet, aut de exemplo electorum accipit, aut magisterio sacri eloquij, aut reuelatione interna, ac secretæ Contemplationis, nam si contemplationis reuelatione caruerit in ordine prædicationis, vitæ perfectus non erit] Huc facit exemplum Christi, qui per no-

Sub finem
lib. 3. expo.
in 1. Reg.

Luc. 6.

stem in oratione vigilabat, & interdium concionabatur.

Omnis Ostentatio vana fugienda. Cap. VI.

Inter dicendum maximè abhorrere debet sacer orator ab omni verbo gestuq; vel dicendi modo quo significetur nimium sibi placere in eo quod dicit, tanquam gloriam suam quærat non Christi. Mirum quantum ea ostentatio de persona Concionatoris deq; Verbi diuini dignitate, atque adeo de fructu Concionum detrahit, facit hoc contra quosdam elatos prædicatores, qui magnificent verbis Philacteria, quod Greg. Nazianz. notauit; Non is (inquit) qui sapit verbis mihi sapiens erit, neque qui linguam habet volubilem, animum vero ineruditum sepulchrorum instar, quæ extrinsecus sunt ornata & speciosa intus autem mortuorum cadauera, & multum recondunt fetorem, sed ille, qui pauca de virtute loquitur, multa verò ostendit operibus, fidemq; sermonis per vitæ roborat actionem, si quidem longe mihi præstabilior est forma pulchritudo, quæ conspici potest, quam quæ sermonis splendet, sed quæ operibus collucet, intellectus enim bonus facientibus eam, & non prædicantibus eam, ait diuinus Propheta.]

In orat. de
plaga græ.
initio.

In Prædicato
res, qui sua
nimis magni
ficè veditat.

Solent aliqui sententiam aliquam adeo magnificè vendicare, vt nihil eiusmodi antea se audiuisse dicant, & magna quadam, & singularia se dicturos polliceri, nec raro parturiunt montes

montes, & nascitur ridiculus mus. Quicquid igitur iactantiam sonat, & sui existimationem, a Concione rescandum est. Audi Chriſt. Non vos oportet hominum male dicta timere, sed potius ne simulatores esse videamini, tunc enim infatuati eritis & conculcati.] Nihil perinde animos Auditorum offendit, ut cum quis eximia de se pradicat. Audi Gregorium, ita inquit, pradicare arrogantes omnes solent, cum quodam enim fastu proferunt hoc quod singulariter se intellexisse credunt, unde sic, ut eorum pradicatio concors sibi manere non possit, quoniam quod rectum loquentes seminant, peruerse tumentes impugnant.] Verum quid mirum est sanctos viros humilitatis magistros ita loqui, omnium eadem est etiam Ethnicorum sententia, quorum de numero Quintil. fugiendam docet esse ostentationem, quod ea audientibus afferat non fastidium modo, sed odium. Inuidet humiliores, ridet superiores, improbant boni.

Ceterum Christianus Orator non solum in suggestu, sed ubiq; omnem elationis, & vanitatis significationem declinabit, in incestu in vestitu, seu nimis delicato, seu artificiosè composito, qui præsertim gravitatem non simplicem, & Apostolicam, sed affectatam, ac sæcularem in rebus, quæ singulare quid coniunctum habent præter ceteros; unde apparet non esse contentum victu, vitæque cõmuni. In contentionibus, & reprehensionibus nimis, in contèptu aliorum inferioris conditionis; hæc & alia ubique vitanda sunt: illa propriè in suggestu. Nimis delicata, curiosiusq; crispata vestimenta, aut superpellicea, salutationes Concionis, aut Procerum putidæ, diuturnaq; illa dicendi in initio, manibus suggestu præhensio, oculorum in totam coronam circumactio, seu mora, aptando pileo, superpelliceo, manicis, & id genus. Inter concionandum olet iactantiam deambulare per pulpitu cum quadam artificiosa gravitate, adhibere omnes gestus ex arte, ut appareat cura in ea re posita, nunc alteram manum vel brachium a tergo reponere, vel ambabus manibus ad latera vtrinq; in amphora modum deductis deambulare; dilatant nonnulli eleganter, & de industria tunicam, seu partem superpellicei, vel ad cubitum vsque colligunt, vel sub alterum brachium belle proiciunt. In verbis est maius periculum, ut si loquatur de sua familia, de honoribus sibi alicubi exhibitis, de Concionibus a se in plerisq; locis Italia vel alterius Provincia habitis, de ijs magnificè loquendo, de officijs quæ gessit, de

Ho. 15. in Matth.

Mor. l. 24. c. 8. initio.

Lib. 11. c. 1

Fugienda omnis elationis significatio etiam extra pulpitu.

Signa elationis in suggestu.

In verbis signa elationis

de diuersis mundi partibus à se peragratis, de multis annis in hoc munere insumptis. Item indicia sunt superbiæ, nimium sibi plaudere, & placere in his quæ dicuntur, aliquid (vt dicitur) inflatis buccis amplificando, vt quidam, scio hic adesse, (aiebat) prædicatores, qui me audiunt; notent hoc dictum, vt suo tempore etiam cum sua gloria vtantur, & qui scribunt, notent diligenter non solum quæ dicuntur, sed modum quo à me dicuntur, quia hoc plurimum refert. Deterius etiam est quando suas Conciones aliorum Prædicatorum concionibus præferunt, pessimum, cum in eos inuehantur, significant; plus posse in suis concionibus Auditores, quam in alijs addiscere. Ostentationis est ne dicam stultitiæ, agere Medicum, Astrologum, Cabalitam, Alchimiſtam. Cum nescio quis Christum in Ascensione pertransisse singula signa Zodiaci significare vellet, in enumeratione eorum adeo est perturbatus, vt visus sit Auditoribus exisse de linea egyptica non sine motu trepidationis suæ, & cum Auditorum tum risu, tum commiseratione. Idem est cum repletur concio subtilitatibus Philosophicis, aut Theologicis, quia viri cordati intelligunt ea non nisi ad ostentationem esse, cum à populo non percipiuntur. Item cum sæpe citant locos ex lingua Græca vel Hebræa, vel Chaldæa, vel cum nimij sunt in epithetis Antithetis, gradationibus. Præterea caueat modestus Orator, ne significet se quasi diuinum, & futurorum coniectorem, ac si spiritum prophetiæ, vel visiones haberet, aut ecclæs pateretur. Hæc ne oblique quidem attingat, vt solet à nonnullis temerè fieri, non habeo, inquiunt, spiritum prophetiæ, tamen illud moneo, & cætera huiusmodi, quæ exempli gratia tantum dicta sint, infinitæ enim sunt errandi viæ, cum virtus ex integra causa, vitium ex singulari defectu nascatur. Ex quibus omnibus intelligat Ecclesiastes, optimum esse confilium & optimam regulam, vt de se nulla ratione loquatur, sic enim censeo, de se ipso coram multitudine loqui, nec ineptiarum aliquid admiscere, rem factu difficillimam esse. Quod si inter priuatos sermones laus in ore proprio sordescit, certè se ipsum aliquo modo iactare ex edito loco coram multitudine est hominis publicè parasitantis, & gloriam inanem tuba ancupantis. Legere poterit cui placebit Plutarchi opusculum, vbi hæc inter alia inueniet, neminem esse, qui non putet rem esse valde illiberalem, ac moleſtam de se ipso aliquem ita loqui, vt sibi dignitatem, ac laudem vendicat, eorumq; ora-

Nemo faciat se quasi diuinum.

Numquã, aut rarissimè de se loquatur.

De sui laude tom. 2.

orationem esse iniuriam, & grauem, quam omnes auersamur, & dimitti ab eis, & respirare properamus. Addit plerasque huius vicij deformitates. Prima est, quod impudentes eos iudicamus, cū pudere oporteret eos potius si ab alijs laudarentur. Secundo, iniustos esse qui sibi id tribuant, quod non à se, verum ab alijs tribui debuit. Tertio, qui seipsum laudat, Auditores in angustias conijcit, vt nec tacere, nec loqui audeant; explicat item & enumerat diuersas occasiones, quas ad se laudandum, amor sui immoderatus arripit, quales esse solent cum res nostras feliciter gestas narramus, cum negotium aliquod transegimus, cum aliorum in nos beneuolentiam, & beneficia recensemus, cum alios vel arguimus, vel laudamus, in his valde est facile in nostras laudes excurrere. Itaq. si ab alijs laudemur, dicebat Demosthenes apud Quintilianum, erubescere nos decet, nos verò impudentiæ arguamur, si nostra laudemus.] Caterum cum iactantia ita fugienda sit, non tamen probarim, vt seipsum Concionator frequenter accuset demissionis gratia, nam aut iudicat non credituros eos qui audiunt, & tunc videtur ambire virtutem humilitatis, aut putat credituros, & tunc haud satis prudenter, necessariam suo ministerio æstimationem, & auctoritatem eleuat, sed profectò in sui vituperatione sæpè potest inesse affectata quædam humilitas, quæ res magnam habet superbiæ significationem, & optimè admonemur etiam vulgari sententia, Nec te collaudes, nec te culpaueris ipse. Itaque concludamus caput cum Aristotelis sententia, quam Valer. Maxim. citat in hæc verba, de semetipso in neutram partem loquendum esse prædicabat Aristot. quoniam laudare se vani, vituperare stulti esset.]

Iactantia, q̄
magnum vici-
um in con-
cione.

Lib. 11. c.
1.

Lib. 1. c. 2.

Patientia & Mansuetudo. Cap. VII.

Sed quemadmodum molestum est Concionantem de se, suisq. rebus cum laude loquentem tolerare, ita si indignantem, & querulum experiuntur, indignatione etiam ipsi in eum commouentur Auditores. Egregia est illa animaduersione Gregorij, qua vult Concionatorem esse alterum Helliam, cui dici possit: Currus Israel, & auriga eius. Doctor ait, qui mores populi & per patientiam susinet, & sacri eloquij verbis docet, & currus dicitur, & auriga. Currus, quia tolerando portat; auriga, quia exhortando agit; currus, quia

Lib. 2. in
Ezech. ho.
21.

Cōcionator
non sit que-
rulus.

quia mala sustinet, auriga quia populum bonis admonitionibus exercet.] Non est profectio non est pro dignitate loci, atque personæ, vt Concionator in pulpito cōqueratur, si quid forte audierit à quopiam contra se dictum; frequenter enim vsu venit, vt quod non erat publicum, omnibus manifestum, fiat, & plures contra eum existant censores, talesq. defensionibus aduersus eos, qui minus honorificè de eo locuti sunt, haud facillè probantur ab omnibus, quin potius aliorum iram, ac stomachum prouocant ad notanda in posterum, quæ prius bona fide accipiebant. Multa melius dissimulantur, quàm trahuntur in litem, præsertim nisi agatur de rebus ad verbum Dei pertinentibus, neque sit contra concionatoris famam in re graui; tunc enim quid sit faciendum prudentia, & modestia, & sancti Spiritus vnctio docebunt. Sine consultatione, quidem nihil temerè agendum, aut loquendum. Nec dubites illud omnino esse certum in causa propria neminem esse æqui Iudicem, imò cum quid contra nos dictum est, tunc magis curandum est, vt patientiam præ nobis feramus. Cyprianus. Magis optamus (inquit) & cupimus contumelias, & iniurias singulorum clementi patientiâ vincere, quam sacerdotali licentia vindicare.] Et Gregor. Eo tempore, inquit, quo à proximis contumelias accipimus ex falsitate, taceamus, ne ministerium iustæ correctionis, in arma vertamus furoris.] Nūquam etiam probaui, cum aliquos audiui de paucitate Auditorum conquerentes, nam hæc ipsa querimonia obesse plurimum potest frequentiæ, cum ex hoc qui præsentibus adsunt, colligant conciones eorum alijs displicere, quæ opinio numerum non auget, sed minuit. Potius igitur obserua vnde sit paucitas, quidq. sit in te quod minus placeat, idq. corrige. Illud etiam admonitione est dignum, ne vllum impatientiæ aduersus comitem signum edat, siue palam eum is aliquid admonet, siue cum minus aptè componit subsellium. Quamuis enim ad talia populus subrideat; viri tamen graues nequam probant, sicut etiam offenduntur potius, si viderint Concionatorem impatienter conturbari ob strepitum aliquem, qui publicè fiat, sunt enim qui vel leui quopiam motu, seu vagiat infans, seu canis allatret, turbantur, & signum præbent leuitatis. Monere quidem cum res vehementer, diuq. obturbat, cum modestia, & lenitate mentis aliquid, & licet, & ædificat, impatientiæ verò signa ostendere magis, & Concionatorem ipsum, & Auditores perturbat. Præterea abli-
neatur

Lib. 3. ep.
9.

In Euan.
bom. 18.

Conqueri de
paucis Audi-
toribus indi-
gnum.

neatur ab omni verbo , quod vel certum hominem, vel familiam, vel ciuitatem offendat ; aliquando profert Concionator verbum contra aliquos in vniuersum, & Auditores facile aduertant in quos propriè sit dictum, & facile, tum qui perfricti sunt, tum ceteri irritantur, nonnumquam videntur verba Concionatoris notare Ciuitatem, aut nationem, quod ceu pestis vitandum est, maximè enim abalienat, vt quidam pestifè auditus est, vbi dixit homines illius loci incolas esse, natura timidos . Docet prudentia, docet charitas, docet ars ipsa Rhetorum, ita omni ratione prouidendum Oratori, ne qua re significet se parui æstimare Auditores, imò significanda est beneuolentia erga omnes, & bona, quam de omnibus habet existimatio, citra adulationem . Cæterum vituperanda sunt vitia, homines honorandi, quod tum in omnibus hominibus, tum præcipuè in ipsis Auditoribus obseruandum est . Etiam atque etiam caueat Concionator ab omni leuissimo verbo, quod in Auditorum iniuriam, aut contemptum recta, vel ex obliquo possit trahi, vt si Auditoribus ignorantia notam inurat, & inuitet, vt ad se veniant, & discant quod non intelligunt, id enim plurimum obest; & non semel audiuius abalienatos populos, ob vnã aliquam uoculam impatienter, & iracundè, seu contemptim prolatam . Denique Mansuetudo est virtus, quæ hominem reddit Deo gratum, populis amabilem, mitibus possessio terræ promittitur: Dionys. epist. ad Demophilum, castigat eius ferociam, affirmans, Iosephum, Moysen, Dauidem, apud Deum gratiam inuenisse, quoniam mansueti fuerunt.] & Paulus docet, seruum Dei debere esse mansuetum ad omnes . Et Dominus, Discite à me, inquit, quia mitis sum, & humilis corde . Capiti huic sigillum apponat Cassiani grauis sententia : Sublimioris, inquit, præstantiorisq. virtutis est persecutionibus, ærumnisq. vallatum, manere semper immobilem, & aduersum se saeuientibus eun-ctis, certum de præsidio Dei, atque intrepidum perdurare, humanisq. incurisibus, velut armis inuictæ virtutis accin-ctum gloriosissimè de impatientia triumphare, & acquirere quodammodo de infirmitate virtutem, quia virtus in infirmitate perficitur.]

Neminem vt lo modo no-tet verbis .

Epist. ad Demophil.

8.

2. Tim. 2.

Matt. 11.

Collat. 24.

cap. 25.

Feruoꝝ

Feruor Spiritus in dicendo. Cap. VIII.

Quoniam industriam & prudentiam in Concionante in hac appendice aperimus, placet hoc loco monere aliquid circa Spiritus feruorem in ipsa actione, ac dictione tenendum; præsertim cum pauca hæc hactenus à nobis hac de re tam necessaria, tamq. graui, atque ad negotium nostrum tanti momenti, sint disputata. Certè in Concionatore Spiritu magis quam propria sententia, lingua loqui debet; hinc fiet vt verba eius, igne diuino inflammata omnium corda calefaciant, vt verè illud dici possit ignis à facie eius exarsit, carbones succensi sunt ab eo. Greg. in illa verba: Scintilla quasi aspectus æris candentis, comparat prædicatorum voces his scintillis, quia, inquit, vita prædicantium sonat & ardet, ardet desiderio, sonat verbo, de candente ære scintilla procedunt, quia eorum exhortationibus verba flammantia ad aures audientium procedunt.] Ex his D. Antonium Patauinum fuisse accepimus, cuius fama cum ad vigintiduos latrones peruenisset, curiositatis, non pœnitentiæ studio ad eius concionem accesserunt, à quo ita inflammati sunt, vt omnes pariter ex perdito illo vitæ statu resipuerint. Et hoc ipsum à nobis exigit Deus, quod Hieremiæ contulit: Ecce ego dedi verba mea in ore tuo in ignem, & populum istum in ligna, & vorabis eos. Cæterum multos dicit Bernar. esse magis de sublimi fumantes, & tales docet esse eos, qui verbis de elatione fumant, & tepidè agunt sine flamma & Spiritu charitatis.] Cui deest hic spiritus feruor, is videtur potius murum Concionatoris simulachrum, quam Concionator. Multum momenti in hoc feruore spiritus positum est ad fructum ex verbo Dei colligendum, vt sit Concionator fecunda mater filiorum si ipse ferueat, aut tanquam mulier sterilis, si eo destituitur. Sed non est omnino facile exprimere quidnam sit hic spiritus, ex quo fructum Concionis credimus magna ex parte pendere; certè non est vox alta, vel clamores, vt etiam alibi monuimus, aut vehemens agitatio in suggestu, neque etiam gemitus quidam, quia omnino credimus hæc posse præstari etiam sine spiritu, & sine fructu, quamuis etiam ex vehementia spiritus hæc soleant aliquando prouenire, & sint nonnunquam eius effectus. Existimabit aliquis, & bene esse charitatem, vel potius charitatis ardorem vnde nascitur zelus diuinæ

Hom. 3. in
Ezech.

Hier. c. 5.

In probe.
vitæ Sæcti
Malachia.

Feruor Spiritus
in concio-
ne quid sit.

diuinæ gloriæ, & salutis animarum qui viuificat, & exacuit
 verbum Dei, & facit tanquam gladium penetrabiliorem om-
 ni gladio ancipiti, pertingentem vsque ad diuisionem animæ,
 ac spiritus. Vnde rectè quidam interrogatus, quidnam esset
 maximè necessarium ad Concionatoris officium ritè obeun-
 dum, respondit, ardentissimo Christi Iesu amore flagrare,
 hic enim amor si adsit, quid ni egregiè omnia perficiantur?
 Posset fortè dici planius esse quandam vim, seu viuacitatem,
 dicendi cum energia, & efficacia, quamdam animi excelstita-
 tem, præstantiamque, ac libertatem trahendi homines ad
 Christum, & adducendi peccatores à malo vitæ statu ad gra-
 tiam, ad omnem virtutem, & Christianam perfectionem, at-
 que adeo corda penetrandi natam ex charitate Dei, quæ tã-
 quam ignis non se continet intus, sed per os ex abundantia,
 cordis emittit voces, tanquam è fornace flammæ. Eminent
 verò hic spiritus, & feruor non solum in doctrina, quæ effica-
 citatem habeat, sed etiam in modo dicendi cum pondere,
 qualis erat Christi sermo, qui docebat tanquam potestatem
 habens, stupebant omnes super doctrina eius, quia cum po-
 testate coniunctus erat sermo ipse, & D. Pauli, qui de se ait,
 Sermo meus non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis,
 sed in ostensione spiritus, & virtutis, hoc est, non in appa-
 ratu magnifico verborum, sed in quadam arcana & interna po-
 testate à Spiritu sancto operante, & Apostolorum, qui in Act.
 orabant: Domine da seruis tuis cum omni fiducia loqui ver-
 bum Dei. De qua potentia diuini verbi ait idem Paul. Arma,
 inquit, militiæ nostræ non sunt carnalia, sed potentia, id est,
 quæ à Deo habent vim suam, Deoq; deseruiunt ad destructio-
 nem munitio, quasi dicat, nihil tam munitum, quod non
 deiciant etiam omnem altitudinem extollentem se aduersus
 scientiam Dei, Nihil tam acutum, quod non retundatur si
 adsit spiritus. Est hic spiritus robustorum, secundum Isaiam
 inftar turbinis impellens parietem, hoc idem mihi videtur
 dicere idem Paul. quæ Dei sunt, nemo cognouit nisi spiritus
 Dei, nos autem non spiritum huius mudi accepimus, sed spi-
 ritum, qui ex Deo est spiritualibus spiritualia comparantes,
 hoc est, sicut in concionibus spiritualia tractamus, ita etiam
 spiritualiter id præstemus, quod ille perficit qui intus, & ex-
 tra se spiritualem exhibet, iuxta naturam rerum spiritualiũ,
 quas tractat. Sicut & D. Petrus docuit: Si quis loquitur qua-
 si sermones Dei, ergo secundum hoc præceptum res spiritua-
 les

Hebr. 4.

Vis, & effica-
cia in dicen-
do.

Luc. 4.

Exemplum
Christi, &
Pauli.

1. Cor. 2.

Act. 4.

2. Cor. 10.

Isai. 25.

1. Cor. 2.

1. Pet. 4.

Qg

les

les afferre debet in concione, & spiritualiter efferre, eo scilicet modo, qui spiritum Dei spiret, hoc planè facit qui nihil aliud in concione quarit, quam spirituales reddere homines, id est Dei amantes, qui in sacra doctrina nihil miscet prophanium, qui Euangelium non tanquam hominis verbum, sed verè est, tanquam verbum Dei tractat, qui tum actione, tum verbis, ac sententijs ad pietatem inuitat Auditores, adeò vt omnia spiritu Dei plena videantur. Denique ita debet Concionator loqui, vt de eius verbis dici possit: Verba quæ ego loquor vobis, spiritus & vita sunt, id est, sint verba viuua, non mortua, & spiritum habeant viuificantem, vt non possint qui audiunt facile resistere, sicut de S. Stephano Scriptura testatur. Non poterant resistere spiritui qui loquebatur, & sicut ad verba Petri concionantis compuncti sunt, & dixerunt, quid faciemus viri fratres? Hoc autem debet Concionator à Deo etiam atque etiam flagitare, cuius est linguam, mentemque decentis mouere, corda, & voluntates audientium seclere. Vnde August. Cum (ait) homines pro correptione in viam iustitiæ reuertuntur, quis operatur in cordibus eorum ad salutem, nisi ille, qui quolibet plantante atque rigante, & quolibet in agris, & arbusculis operante incrementum dat Deus?] Et

Ioan. 6.

Actor. 6.

Actor. 2.

Lib. de correct. & gratia. c. 14.

Hom. 2. de Spiritu sancto.

Quomodo possit feruor hic comparari.

In 1. Cor. 14. ho. 35.

Psal. 38.

Et Chrysof. Da mihi nauim vacuam gubernatores, nautas, funes, anchoras, omnia disposita, & nusquam esset Spiritus ventis, nonne tardat omnis quantuscumque est apparatus si deficit operatio spiritus? Ita fieri solet, licet sermonis sit ampla suppellex, & mens profunda, & eloquentia, & intelligentia, non adsit autem Spiritus sanctus, qui vim suppeditat, otiosa sunt omnia.] Quod si quis à me quarat, quonam artificio, aut qua via hunc sibi spiritus feruorem comparet noster Orator; Dominum Dei esse respondebo, & ab eo communicari per aliquod eius speciale auxilium; nec talentum naturale ad hoc esse satis, quamuis natura, diuinæ ac supernaturali motioni feruiat optimè, vt sit ipsa subiectum gratiæ, sed debet à nobis precibus à Deo impetrari. Hinc Chrysof. in ea verba sancti Pauli, qui loquitur lingua, oret vt interpretetur, ait, hic ostendit penes ipsos esse quo pacto Domino potiantur. Oret, inquit, hoc est, quod penes se est inducat. Si diligenter enim postulabit, potietur, postula igitur non linguæ solum, sed interpretationis etiam donum, vt prodesse omnibus queas.] Meditationem esse valde vtilem, non oportet repetere, quia in meditatione exardescit ignis, sicut & aliqua carnis castiga-

stigatio, vt alibi tetigimus. Iunabit præterea considera-
 tio peccatorum populi, vt Christus videns ciuitatem fleuit
 super illam, dicens, Si cognouisses & tu. Item videns viola-
 tum templum, zelo exarsit, sic Esdras ad Deum orauit, & *Luc. 19.*
 Elias ex eodem zelo, qui natus est ex peccatorum considera-
 tione, & iniuria Dei; spes fructus & conuersionis animarum *2. Esdr. 1.*
 vim dabit spiritui. In Eliseo per melodiam & psalterium, spiri-
 tum prophetiæ suscitauit Deus, sic musica deuota disponit *4. Reg. 3.*
 aliquando animam; lectio item librorum spiritualium, ad
 hunc feruorem in nobis excitandum, emolumento erit, vt le-
 gere Chryostomum, Bernardum, Soliloquia D. Augustini, ope-
 ra Ludouici Granatenfis; sed omnino deuitet libros verbo-
 sos, curiosos, ac vaniloquentiæ deditos, ne quid sibi de hac
 pice adhereat, quod est facillimum. Ad hæc auferenda sunt
 quæ spiritum extinguunt, vt sunt Ambitionis spiritus, & ho-
 norum ac rerum temporalium cupiditas. Rursum quædam *Impedimēta*
 vita mollis, dum delicatè corpus nutrimus, & sensuum oble-
 scimenta sectamur. Præterea qui diuinum hunc ardorem
 concipere velit, otiosis in colloquijs non immoretur, nam hæc
 spiritum fugant, neque in negotijs quæ non sint spiritualia,
 neque in frequenti hominum consuetudine, quia hæc animum
 auocant à Spiritu, & distrahunt. Denique qui anhelat ad fer-
 uorem spiritus in dicendo, frustra nititur, nisi verè cum spi-
 ritu vitam gerat, & rebus spiritualibus sedulò sit addictus.
 Nam in his qui verè non sunt tales, feruor ille aduentitius,
 qui aliquando apparet, est affectatus, non sincerus, nec verè
 spiritualis, extrinsecus agitatur Concionatoris voces, & au-
 res verberat Auditorum, sed neque horum, neque illius ani-
 mas penetrat.

Curet vt attentum habeat Auditorem . Cap. IX.

Quod attinet ad ipsos Auditores etiam aliqua occurrunt *Prudentia*
 admonenda, præter ea, quæ alibi posita sunt. Inter quæ *erga Audi-*
 illud primo loco dicamus, vt curet Orator noster attentum, *tores.*
 semper habere Auditorem; non enim solum in exordijs id
 præstare oportet, sed magis adhuc inter dicendum. Imò ve-
 rò tenenda est Ciceronis regula, præcepta principiorum in *2. de Orat.*
 tota oratione seruanda esse; nam & beneuolum, inquit, Audi-
 torem facilius facere potero, cum sum in cursu orationis,
 quam cum omnia sunt inaudita. Docilem autem, non cum

Qq 2 polli-

- polliceor me demonstraturum, sed cum doceo, & explano, Attentum verò crebrò tota acione excitandis mentibus, non ita prima denunciatione facere possumus. Docet idem cum
- 3. Rhet. c. 14.** Cicerone Aristoteles in cursu nimirum orationis, cum Auditores attentis parum animis adstant, renouandam tunc esse attentionem. Scripturæ item sacræ sapè dociles, attentosq;
- Job. c. 33. & 36.** Auditores faciunt. Audi igitur Iob eloquia mea, & omnes sermones meos, sustine me paululum, & indicabo tibi. Christus etiam clamans dicebat, qui habet aures audiendi audiat. Et iterum: Audite & intelligite. De qua attentione
- Luc. 8.** perpetuò in concione conseruanda. Gregor. Verba quæ Doctor loquitur in libro scribere, est Auditorum suorum mentibus attentè commendare, quasi scribere volebat, Dominus quæ dixerat, quando dicebat, mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis.] Et exponens illa verba Samuelis, Stare & iudicio contendam. Stare, ait, Auditoribus est intentionem mentis ad verbum Prædicatoris erigere, meritò ergo stare præcipiuntur, quia Doctor nihil exhortando proficit, si Auditor mentem ad ea, quæ loquitur non intendit.]

Quomodo
attentio con
seruetur.

Conseruatur autem attentio, & renouatur, si serio, si cum spiritus seruore, si iucundus, & efficax in dicendo, agendoq; sit qui loquitur; si familiari sermone, vt supra diximus, vtatur. Quidam enim ita agunt in pulpito, ac si non esset sermo ad præsentem, ita toti sunt in declamationibus, quasi sese in solitudine, vel in maris littore clamando exercerent, adeò vt ne vultum quidem ad Auditores conuertant. Poterit aliquando attentos sibi reddere si eos moneat, cum res aliqua maximè utilis dicenda sit, si cum admiratione alicuius rei inexpectatæ, ac magnæ, narrationem proponat: Transitiones etiam valent plurimum ad hanc animi attentionem renouandam. Nonnumquam conuertat se ad Deum per apostrophem, eius opem implorando, vt ipse Auditorum paret corda, & illustret mentes, cum res est magni ponderis: hæ planè collocationes inter concionandum non solum attentionem excitant, sed etiam Auditores mouent, vt rebus se obediens præbeant. Quintilianus, Nemo, ait, miratur poetas maximos saepe fecisse, vt non solum initijs operum, sed etiam longius prouecti, cum aliquis grauior locus tractandus erat, repeterent vota, & noua precatione vterentur. Quanto id melius nostri Concionatores facere debent, vt diffisi proprio ingenio, cæleste numen implorent, non solum initio, sed cum aliquid

In probe.
lib. 4.

aliquid graue sunt explicaturi ; & mirum est dictu quantum
 profit hac obseruatio , quod etiam Ethnici Oratores facere
 solent . Aliquando interroget ipso sine Auditoribus ; aliquando
 suspendat sermonem tacito quodam silentio , quo magis Au-
 ditor , attentis auribus quid sit dicendum expectet . In vni-
 uersum oratio distincta , partitaq; & variata , multum ad at-
 tentionem facit , cum capita non admodum communia sunt ,
 & vno absoluto ad alterum quasi nouo spiritu transitur ; & di-
 sputationi narrationes & mores , affe&usq; nunc lenes , nunc
 vehementes , cum vocis ac gestuum mutatione apte miscen-
 tur ; nam tenor aquabilis non aures modo fatigat , sed &
 somnum inducit . Sit excitatus , vigeat , agatq; Orator , qui
 expectatam , attentamq; ac semper quasi recentem concio-
 nem cupit . Cum Auditor ostendit se non libenter audire ,
 bonum est consilium , Augustini , Sæpè fit , inquit , vt qui pri-
 mò libenter audiebat , vel audiendo , vel stando fatigatus , non
 iam laudans , sed oscitans labia diducat , & se abire velle etiã
 inuitus ostendat , quod vbi senserimus , aut renouare oportet
 eius animum , dicendo aliquid honesta hilaritate conditum ,
 & aptum rei de qua agitur , vel aliquid valdè mirandum , &
 stupendum , modo breue sit , maximè si extra ordinem inseri-
 tur , ne morbum fastidij , cui subuenire volumus etiam au-
 geat ipsa medicina .] Et rursùm ibidem : Cum Auditor , in-
 quit , non attendit , dicatur aliquid contra incidentes cogita-
 tiones sæcularium negociorum , aut hilari , aut tristi modo , vt
 si ipsa sunt quæ mentem occupauerant , cedant quasi nomina-
 tim accusata .] Addamus his quasi corollaria quædam . Pri-
 mum , vt dum concio habetur , ne attentio aliunde impedia-
 tur , semper adfit in templo aliquis , cui ea cura demandata
 sit , vt si quid strepitus , aut turba cooriat , cohibeat , curetq;
 vt omnes quieti sint , & locum ad sedendum habeant . Cle-
 mens hoc docet Diaconi fuisse munus , speculari ne quis mur-
 mure obstreperet . Hoc videtur esse quod in Num. dicitur ,
 Levitarum officium erat populum componere . Secundum ,
 ne suggestum sit plus iusto super Auditores elatum , nam cum
 maximè referat , vt Concionator quasi familiariter populum
 alloquatur , cum nimis est Auditore superior , experientia cõ-
 fiat , magis se ad declamatorium quemdam cantum , quam ad
 actionem seriam , & familiari persimilem sese accomodare .
 Neque illud displicet , quod Augustinus ibidem in Instructio-
 ne Catechumenorum admonet etiam in Concionibus serue-

Q9 3 tur ,

Concio
 inuad

Lib. de ca-
 tech. rud. c.
 18.

Const. lib.
 8. c. 11.
 Num. 18.

Concion's breuitas .

itur, curandum vt Auditores in audienda concione sedeant, ne stando defatigati, vel recedant, vel non attendant . Postremo ad attentionem facit plurimum Breuitas concionis, quæ Concionatori summæ esse curæ debet . Certum quippe est omnibus breuitatem esse gratissimam ; nam eos qui libenter audiunt ipsa fames non expleta delectat, cæteros autem longitudo ad tædium vsque defatigat . Qui nimium prolixi sunt, eo etiam sunt odiosi, quod abuti videntur Auditorum patientia . Diuus Franciscus hortatur suos, vt cum breuitate sermonis loquantur, ac re ipsa constat grauatè ad eos audientes adiri, qui horam dicendo excedunt . Persuadeat ergo sibi Concionator, vix se posse persuadere quicquam his, qui non æquo animo, & sine quadam auiditate verbum Dei auscultant, sermonis quippe fatieras (inquit Nazianz.) non minus auribus inimica est, quam immodicus cibus corpori .

Orat. in S. Bapt. init.

Atqui copia ciborum ingesta, & satietatem, & nauisam parit; alimenta quæ non redundant, tum sumuntur auditi, tum salubrius concoquantur.] Propterea ex omnibus quæ in presenti succurrunt, seligat optima quæq; alijs in aliud tempus reiectis, vt qui dono mitteret amico fructus, non tam curaret copiam, quàm vt eximij essent, & vtilis, ac gustui grati, licet pauciores, verum est tamen pro varijs Dei donis, & cuiusq; in dicendo vi, vnum, idemq; spatium vni esse prolixius, quàm alteri, & posse alios alijs melius, ac diutius concionem attentam habere ; semper tamen consultius est, vt cum fame discat Auditor, sic enim fiet, vt audita commodius retineat, &

De catech. rud. 3.

libentius redeat . Auguft. item his qui multa habent proponenda populo hoc dat consilium . Eligantur, ait, quedam mirabiliora, quæ suauius audiuntur (intelligo ego modo sint vtiliora) & hæc tamquam inuolucris ostèdere, statimq; à conspectu abripere non oportet, sed aliquantulum morando, quæ si resoluere, & expandere inspicienda atque miranda animis Auditorum . Cætera verò celeri percursione miscendo contextere, ita fiet, vt illa quæ maximè commendari volumus, magis emineant, nec ad ea fatigatus perueniat, quem narrando volumus excitare, nec illius memoria confundatur, quem docendo debemus instruere.]

Liberè ac seriò dicat Ecclesiastes. Cap. X.

A Rbitror autem ei Auditorem attentas præbiturum au-
 res, qui seriò ac liberè agat in suggestu. Planè libertas
 in dicendo videtur apprime necessaria Concionatori, vt cum
 auctoritate, ac sine timore causam suam, seu Dei potius pro-
 ponat, ita vt dominari in omnium animis videatur, verecun-
 de tamen non insolenter. Quod si populus eum timidè age-
 re aduertat facillè iudicat esse in ea facultate Tironem, vel
 minus sincerè annunciatè verbum Dei. Ambros. nihil ait in
 Sacerdote tam periculosum apud Deum, tam turpe apud ho-
 mines, quam quod sentiat non liberè denunciare; siquidem
 scriptum est: Et loquebar de testimonijs tuis, & nõ confundebar,
 & ad Ezech. fili hominis dedi te speculatorem domui Israel, &
 audies de ore meo verbũ, & annunciatè eis, & allegans illud
 Isaiæ, Super montem excelsum ascende tu, qui euangelizas
 Sion, non decet (inquit) qui euangelizant omnibus gratiam,
 & salutem timidè id facere, ac summissè, quasi latere stu-
 deant, sed tamquam in excelsò, & omnibus conspicuos, cla-
 ra voce, quæ aures penetret vt tuba, & quæ sit metu libera.]
 Basil. in sententijs moralibus docet cum summa libertate
 prædicandam esse doctrinam Dominicam, & dandum testi-
 monium veritati, licet alicui sint, qui nos id facere prohi-
 beant, & quoquo modo, vel ad mortem vsque persequantur,
 & confirmat testimonijs Domini, Matth. Quod dico vobis in
 tenebris, dicite in lumine, & quod in aure auditis, prædica-
 te super tecta, & Ioan. Ego semper docui in synagoga, & in
 templo quò omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus
 sum nihil. Act. 5. Cum diceret Apostolis Princeps Sacerdo-
 tum, Præcipiendo præcepimus vobis, ne doceretis in nomine
 isto, & ecce replestis Hierusalem doctrina ista. Respondentes
 Apostoli dixerunt, Obedire oportet Deo magis quam homi-
 nibus. Et Paul. Spiritus sanctus per omnes Ciuitates mihi
 protestatur, dicens, quoniam vincula, & tribulationes Hiero-
 solymis me manent, sed nihil horum vereor, nec facio ani-
 mam meam preciosiorem quam me, dummodo consumem
 cursum meum, & ministeriũ verbi, quod accepi à Domino Ie-
 su testificari Euangelium gratiæ Dei. Et ad Galat. Si homi-
 nibus placerem, Christi seruus non essem, quo verbo signifi-
 cat Paulus, non posse eos liberè verbum Dei prædicare, qui vt

Qq 4 homi-

Lib. 5. epist.

29. ad Theo

dor. Imp.

Psal. 118.

Ezech. 3.

Isai. 40.

Reg. 70. c.

13.

Libertas sine

timore vano.

Matth. 10.

Ioan. 18.

Act. 20.

Galat. 1.

hominibus placeant, non audeant quæ oportet, loqui. Ille autem liberè vitia potest reprehendere, qui in actionibus suis huiusmodi præbet exemplum, ut vita orationi respondeat: Paulus Titò, Præcipe, & doce, ait, cum omni imperio, in quæ verba Gregor. cum imperio ait docetur, quod 23. *Moral.* prius agitur quàm dicatur, nam doctrinæ subtrahit fiduciam, quando conscientia præpedit linguam, non ergo ei potestatem elatæ locutionis, sed bonæ fiduciam infirmat. *Tit. 2.*

Libertas sic modesta. Adde, eam debere esse in dicendo libertatem, ut sit Concionator semper memor modestiæ cuiusdam, ne nimia libertas degeneret in audaciam, & arrogantiam, quia aliquando tum iudicium in Concionatore, tum animi demissio desiderari videtur, cum quis suæ vel doctrinæ, vel auctoritatis supra modum confidit. Sapienter Chrysostr. Vocis, ait, libertatem permulti usurpare possunt, at illa eadem uti decenter tempore consentaneo, & congrua tum mensura, tum prudentia adhibita magni admodum animi, & admirabilis fuerit.]

Serio agendum, & cum efficacia. Caterum inter ea quæ Concionatori conveniunt, & huic libertati proximum est, illud mihi videtur inter prima referendum, ut quæ dicit serio dicat, & ea efficacitate, quam rerum quas tractat natura exigat. Multi enim recitare aliquid ex scripto magis exercitationis causa, ac si esset oratio declamatoria, in qua Tyrones in Academijs sese exercent, quam Christianè ex suggestu concionari videntur, ut causa postulat summi momenti. Ijs verbis utatur ea dicendi vi, & ratione, qua quis negocium suum in re gravi ageret, in qua summa bonorum suorum sita esset, adeo ut si victor fuerit, magnum aliquod lucrum sit reportaturus, si causa cadat, in magnam inopiam sit redigendus. Ita debet affici, ita agere Concionator, ac simul existimare, dum hæc exiguntur illud in se convenire Apostolicum, Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ, nam verè existimanti videatur indignum non plus postulare à Concionatore Christiano, quam studium Oratoris prophani, quæ enim causa vlla, quamvis de toto terrarum agatur imperio, conferripotest cum nostris, ubi res est de meritis & sanguine Christi, de regno cæli, de summa, æternaque miseria vel felicitate; sed profectò hoc è sententia numquam cedit, nisi verè Concionator Dei spiritu illustretur, & benè sit animo affe-

affectus, vt verba ex intimo animi sensu proueniant. Gregor. explicans verba illa, Et comedi illud, & factum est in ore meo sicut mel dulce ait; Liber qui viscera repleuit, factus est dulcis, quia ipsi de omnipotente Deo sciunt loqui, qui hunc didicerunt in cordis sui visceribus veraciter amare, in eius quippe ore Scriptura sacra dulcis est, cuius viscera mandatis illius replentur. Ad prædicandum namque plus conscientia sancti amoris adificat, quam exercitatio sermonis, quia amando caelestia inter semetipsum Concionator legit quomodo persuadeat, quomodo despici debeant terrena.]

Vt autem serio dicat, quæ dicit optimum arbitror esse remedium, vt quæ alijs dicitur, sibi ipsi primum persuadeat, nam vix alijs poterit, quæ sibi non potuit persuadere, qui enim solo studio, ac lectione librorum paratus, ad dicendum venit, quando alijs predicat, ipse sibi quod predicat non sentit, ideoq; nec serio agit. Si de ira Dei loquitur, terrere alios poterit, ipse non timet; si de misericordia alios consolatur, ipse non gaudet, quia scientia, quæ de solis lectionibus est, de ore procedit, quæ autem de Spiritu sancto est, de corde prouenit, nec solum dicitur, sed & sentitur, non tantum in Scripturis legitur, sed ex corde suggeritur. Rursum serio dicemus, si non solum ad alios erudiendos, excitandosq; tendat sermo noster, sed vt nos ipsi verbis nostris proficiamus, & post concionem seruemus. Est Gregorij præceptum dicentis: Cum ipsa sua Doctoribus verba ad memoriam reuocantur, erubescunt non seruare, quod dicunt. Vnde Salomon ait, Anima laborantis laborat sibi, quia compulit eum os suum. Os enim nostrum nos compellit ad laborem, quando per hoc quod diximus, à vitijs reuocamur, quia turpe nimis est ibi nos negligendo cadere, vnde predicando conati sumus alios leuare.] Quod præceptum exemplo suo confirmat Chrysostr. qui de se ipso ita loquitur: Cum vos exhortamur, non ad vos dumtaxat, sed ad nos, qui orationem habemus, & loquimur & loquemur; siquidem & nos doctrina, consilio, monitione egemus, neque enim nos sine peccato sumus.]

Remediū vt serio dicat.

Hom. 18. in Ezech.

Hom. 13. in Ioan.

Ad

Ad res ipsas singillatim descendat. Cap. XI.

Sed illa industria videtur mihi inter primas habenda, si velis auditores in Christianis moribus promouere, & fructu ex concionibus elicere, vt quæ dicuntur. Primum quidem non generali quadam & quasi abstracta speculatione contineantur, sed ad particulares actiones ex illa vniuersa ratione descendant; deinde vt ingenio, & captui auditorum sint omnino accommodata. Primum illud sic explico; cum duplex oratori sit proposita quæstio, vt alibi diximus, altera quæ thesis dicitur, & res in vniuersum cõplectitur, altera quæ singillatim res ipsas additis conditionibus tractat, & Hypothesis appellatur; hæc ita verset Christianus orator, vt hypothesim aptè ad thesim, thesim ad hypothesim reuocet. Hoc posterius tamen ad dicendum erit accommodatius, vt nimirum quæ in vniuersum dicta sunt, ad ipsas singulares transferat, & ad humanas potissimum quæ vsu veniunt actiones accomodet, quod qui olim rectè præstabant Oratores, regnare in Iudicijs, dominari in concionibus dicebantur. Contra vero ieiuni, exiles, nullius ingenij, oratores putabantur huius rei imperiti, quod præceptum quandoquidem magni momenti est, paulo fufius à me enucleandum erit.

Ad hypothesim, & singularia descendat.

in Eth.

Præcipua Industria est, vt Ecclesiastes cum doctrinam aliquam vniuersam tractat, ne maiorem in ea temporis partem infumat, sed ad singularia descendat, ea quæ dicit Auditoribus suis moribusq; eorum accomodet, increpando peccatores, instituendo, hortandoque varios personarum status. Nam amplæ quædam doctrinæ nisi ita applicentur, non magnam vim ad componendos animos habent, sic Arist. sermones morales eo vtiliores esse docet, quo magis ad singularia descendunt, & nisi ita fiat experientia constat plerosq; auditorum ita ieiunos redire domum, vt venerant, qui magna oratione onerati nihil penè quod ad praxim faciat singularium actionum audierint. Magnum hoc dicentis vitium est eiusque proprium, qui non tam curet, vt populus proficiat, quam vt ipse docti nomen, & popularis gloriolæ auram ex multiplici doctrinarum genere colligat. Quare qui ad Dei gloriam, & animarum salutem id munus exercet, det operam primo, vt doctrina quam affert non subtilioribus sit inuoluta quæstionibus, hæc enim non potest facile ad mores hominum applica-

applicari. Ei simile hoc præceptum est, quod N. B. P. Ignatius in Exercitiorum spiritualium libello docet, & tam multi spiritualis vitæ magistri præscribunt, vt nimirum; qui meditationi vacat, considerationem mysterij ad suos vsus trãserat, videatque quid ipse debeat ad suæ animæ vtilitatẽ ex eo colligere; hic enim est meditationis fructus, eodem modo Ecclesiastes non cum esse suæ concionis fructum intelligat, si thesim aliquam accuratẽ prosequatur, ac eruditẽ multa afferat, sed vt ea ad praxim singularium rerum accommodet, vt omnes intelligant quid sibi, & quomodo sit faciendum, agnoscantque in hunc scopum propositam esse thesim. Secundo, vt non solum in fine concionis fiat aliqua breuis applicatio, ad mores, vt nonnulli faciunt, quasi verò paucula verba, id quod præcipuẽ spectatur & quæritur, præstare possint, sed in tota concione inò ab ipsomet prohemiõ facienda sunt fundamenta quædam, & parandus auditor ad has actiones, & in singulis membris orationis, iungenda vniuersalia cum particularibus, quam obseruationem, qui tenent, ij fructum solent colligere, vberimum, cum alij vix modicum referant, ita Chrisost. Non tam multi (ait) ad Christum sectandum adducuntur, quando magnificum aliquod, & altum de Deo dicitur, quàm cum ad humilia, & ad salutem auditorum accommodatiora descenditur. Videsne ex Chris. in quo fructus concionis consistat? & affert exemplum Ioannis Baptistæ, cuius prædicatio, quod esset valde particularis, quoniam digito Christum ostendebat, Ecce agnus Dei, Ecce qui tollit peccata mundi; ideo is sequitur est fructus, vt aliqui Christum sic ostensum sequentur.] Hoc ipsum præceptum possumus, in sacris literis vbique animaduertere, Nam cum Isaias primò conquestus esset generatim, subdit lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum, quærite iudicium, subuenite oppresso, defendite viduam. Christus etiam cum de iudicio Dei plura dixerat ad mores orationem conuertit, attendite inquit ne grauentur corda vestra crapula, & ebrietate, & alibi passim id apparet. Quare vbi quis enormitatem peccati exaggerauerit, commonere auditores debet, aliquorum nominatim peccatorum, quibus puret eos esse obnoxios, atque aliquid singillatim quod faciat ad euitanda peccata docere. Eadem ratione vbi de prouidentia Dei in vniuersum dixerit etiam singulare eius patrociniũ erga nos ostendere, & ad fiduciam in Deum hortari; si de patientia in aduersis verba faciat, ponat

Fructus concionis, in qua re sit.

Hom. 17. in Ioan.

Ioan. 1.

Isai. 1.

Luc. 21.

Iob. 1. nat ob oculos Iob dicentem, si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non sustulimus? & Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum, ut qui premun-
 tur aduersis, eius viri exemplo Deo benedicant. Ratio autem
 Duplex ratio reuocandi ad usum quæ dicitur hæc ad usum reuocandi, quæ dicta sunt, est duplex nempe ea
 ipsa quam vitæ spiritualis magistri docent, etenim hi sapienter
 admonent, ut qui bene viuendi disciplinam, & quasi artem
 addiscunt, omnia eius theoremata, axiomata, præcepta
 in usum conferant, primo commentationis, ac meditationis,
 deinde actionis, ac propterea docent ipsi viam, per quam
 discipulus sciat audita ruminare, & ad meditationis exerci-
 tationem conuertere, deinde modum explicant quo eadem
 oporteat re ipsa perficere, & executioni mandare. Duplicem
 hanc praxim etiam concionator auditoribus explicet suis, ut
 qui audiunt ad vtrunque referant, meditando, atque agendo,
 & experietur inde (Deo iuuante) profectum amplissimum.

Ad captum Auditorum se accommodet. Cap. XII.

Hic obseruationi Secundam non dissimilem subijcio, ut
 omnino curet Christianus Orator ad captum auditorum
 se & omnia, quæ dicit accommodare, & ubi opus est ad hu-
 milia descendere cum hoc nequaquam de eius grauitate quid
 quam detrahat, quin potius maximè diuinæ voluntati, verbi-
 que Dei authoritati consentaneum sit. Verbum ipsum æter-
 num debet imitari, Christum nimirum, qui cum in forma Dei
 esset, exinaniuit semetipsum formam serui accipiens, factus
 obediens vsque ad mortem Crucis, & factus pro nobis maledi-
 ctum, ut eos qui erant sub maledicto legis redimeret, qui
 dicebat multa habeo vobis dicere, sed non potestis ea porta-
 re modo. Non omnibus (inquit Ihs.) vna eademq. doctrina
 est adhibenda; sed pro qualitate morum, diuersa exhortatio
 erit doctorum, sicut periti medici, ad varios corporis mor-
 bos diuerso medicamine seruiunt, ita ut iuxta vulnenum va-
 rietates medicina diuersa sit. Audi D. Paulum, siue mente
 excedimus Deo, siue sobrij sumus vobis, charitas Christi vr-
 get nos, quomodo (ait August. de verbis Pauli loquens) para-
 tus esset impendi pro animabus eorum, si eum pigeret incli-
 nari ad aures eorum? hinc ergo factus est paruulus in medio
 nostrum, tanquam nutrix fouens filios suos, non enim dele-
 stat, nisi amor inuitet, decurtata, & mutilata verba immur-
 mura.

murare, & tamen optant homines habere infantes, quibus id exhibeant, & suavius est matri minuta mansa inferere in os paruulo filio, quam ipsam mandere & deuorare grandiora. Ne ergo recedat de pectore cogitatio gallinæ illius, quæ languidulis plumis teneros fetus operit, & susurrantes pullos contracta voce aduocat, cuius blandas alas refugientes, superbis præda fiunt alitibus.] Conuenit cum August. Hieron. ubi concionatores nubibus comparat. Has aquas (ait) de superna abundantia defluentes ligat Deus in nubibus suis, ut unicuique secundum capacitatem cordis sui tantum doctrinæ tanquam aquam effundant, quantum suscipientis possibilitas patitur, ne simul fortassis effusa obsint cordibus minus valentibus abundantiorē suscipere doctrinam.] Adde & Greg. ubi explicat illud Exodi de phialis, & ciathis. Iubente Domino non solum phialæ, sed etiam ciathi præparantur, quid enim per phialas nisi larga prædicatio; quid per ciathos, nisi minima, & tenuis de Deo loquutio designatur?] Chrysostomus quoque dicit, omnibus communis proponitur indigentibus medicina, vnumquemque auditorum, quod ad suum morbum facit oportet accipere, si vnus tantum esset Auditor non esset necessarium multiplicem habere sermonem, sed in tanta concione, plurimos affectus esse credibile est; ideo varia oratione utendum, ut vnusquisque id quo indiget inueniat.] Denique Ambrosius (vt non desit nobis copia testium) explicans Pauli locum quis supplet locum Idiotæ? quomodo dicit Amen, qui nescit quid dicas? Imperitus (ait) audiens quod non intelligit nescit finem orationis, & non respondet Amen, id est verum, vt confirmetur benedictio.] Adijcio tertiam admonitionem eiusdem generis, vt scilicet studeat naturam loci, & hominum apud quos dicit & mores perspectos habere, eorumque studijs, & moribus quantum commodè fieri potest seruiat. Quod si politicum hominem (vt scriptum reliquit in sua Republica Plutarchus) Ciuitatem rectè administrandi cupidum magnopere oportet nosse mores Ciuium, vt eos quo velit facillè flectere queat, quidni hoc ipsum oratori Christiano necessarium iudicemus, qui etiam profitetur artem, quæ teste Aristotele ex politica, & dialectica conflata est? Adde etiam vt loquatur aptè ad necessitatem eorum; nam si sermonem habeat ad sanctimoniales, si ad magistratus, si ad artifices, si ad Prælatos, si ad milites sermo auditoribus aptus esse debet. Quare qui nouus quopiam mittitur, vtile erit, vt quærat

In cap. 20
Iob.

Libr. 20.
Mor. c. 2.

Hom. 22.
in Ioan.
initio.

1. Cor. 14.

Mores loci
concionator
perspectos
habeat.

quarāt à viris prudentibus de rebus quæ in commune vtilēs concionibus esse possint, quæ peccata eo loci magis correctione indigeant, quæ pietatis opera possint commendari. Tam salutare consilium dabat noster B. Pater Xaverius, quem Indorum Apostolum ritè vocare possumus, in quibusdam literis ad Patrem Gasparem Barfæum, egregium Concionatorem in hæc verba: Si ignotum in oppidum veneris, prima cura erit ex probata fidei, & virtutis viris cognoscere oppidanorum, incolarumq; vitia & negotia inibi contracta. Caput quippe est ad homines iuandos gentis vniuersæ ingenium, ac mores nosse, & quoad liceat, singulorum morbos animorum, qui dissideant inter se, qui inimicitias gerant, quæ fraudes, quæ iudiciorum iniquitas, quæ fides testium, quæ Iudicum corruptio, & ab iisdem viris peritis & prudentibus inquirere, quæ tandem oporteat incedere via ad illorum mores, mentesq; sanandas; mouebat etiam Concionatorem, vt eorumdem quorum saluti vult consulere, sensus, mores, honestatq; vitæ impedimenta perspiciat & agnoscat, hoc dicebat esse viuos lectitare libros, docentes multa, quæ in mortuis libris nequaquam reperias.] Postremò etiam illud hic aduertat Concionator, ne omnibus facile præbeat aures, neque omnes consulat, sed aliquos viros graues secretò. Neque enim est vtile si id diuulgetur, propterea neque in concione se quippiam ab alijs accepisse significabit. Apponat huic doctrinæ sigillum August. qui docet pro personarum diuersitate variandam, & temperandam esse orationem, vbi etiam addit modum orationis huius variæ à charitate dictari. Ipsa, inquit, charitas alios parturit, cum alijs infirmatur, alios curat ædificare, alios contremiscit offendere, ad alios se inclinat, ad alios se erigit, alijs blanda, alijs seuera, nulli inimica, omnibus mater.]

Lib. de castib. rud. c. 15.

Pro bis, qui in Pagis Conciones habent. Cap. XIII.

Vltimum præceptum, quod proxima obseruatione iam dicebamus latè admodum patet, idcirco explicandum distinctius erit per partes. Sunt enim quædam Auditorum genera adeò inter sese diuersa, vt peculiarem quandam in Oratore prudentiam, & industriam requirant. Quid enim tam diuersum, quàm concionari, vel in rusticorum pagis, vel in Principum aulis. Separatim igitur de vtroque hoc genere an-

re antequam ad alia hominum genera progrediamur, dicendum est aliquid, vt nostri Oratoris vbique labor cum fructu sit.

Qui Apostolicum euangelizandi munus exercet, si offeratur occasio, vt ad Vrbes non magni nominis, vel etiam in pagos rusticorum mittatur, diuinam sementem facturus, dignari nequaquam debet huiusmodi hominum salutem, & animarum conuersionem, pro quibus Dei filius animam suam posuit. Imò vt alibi docuimus, oblatam à Deo sibi occasionem summa promptitudine voluntatis complecti, quamuis enim talia loca minus plausus habeant, tamen in his sæpe plus vtilitatis cum minori difficultate, ac labore colligitur, quam ab his qui in aulis Principum conciones habent. Adde quod maior est apud simplicem plebem, & humilitatis, & omnium virtutum occasio, in aulis verò ingens periculum, ne mores aulici addiscantur. Ac de pagis hæc dixerim. Primo multum refert, vt tempus quo fit missio ad pagos, & huiusmodi loca sit oportunum, & commodum incolis, nam tempore messium colligendarum, aut vindemiæ, aut alijs temporibus, quibus occupantur suis operibus vix vacuas aures præbebunt admonitionibus. Nec sine causa Spiritus sanctus illam prudentiæ regulam docuit, Scribe verbum in tempore vacuatis; eodem modo debent seligi horæ magis accomodate, in quibus facilius, & cum minori damno negotiorum domesticorum possint ad templum conuocari, diebus verò festis non solum mane, sed etiam à prandio iterum inuitari possunt, vt conueniant quo tempore aliquid tradi poterit, quod ad instructionem practicam vitæ Christianæ, vel ad catechesim pertineat, præcepta Decalogi, aut vitia capitalia, vel aliquid simile declarando. Secundo curet qui mittitur, vt habeat literas (vt vocant) commendatitias Episcopi, sub cuius cura locus est, vel Vicarij generalis, quæ tanto vtiliores erunt, quanto benigniores. Proderit valdè, vt experientia compertum est aliquod deferre Indulgentiarum diploma, quæ communicentur ijs, qui ad sermones, ad doctrinam Christianam, ad confessiones accedent. Tertio, illud item curet, vt in Pago gratiam Archipresbyteri, & Sacerdotum qui ibi commorantur, & aliquorum sæcularium, qui sunt eo loco primarij sibi conciliet; horum enim opera, & amicitia plurimū inuare successum potest, & plurimum si absit impedire. Quarto, vile erit si possit habere Templum domicilio suo vicinum,

Regulæ seruandæ in Pagis.

Tempus opportunum. Eccl. 38.

Literæ.

Beneuolentia.

- cinum, nam & commodius qui necessitatis spiritualis gratia, eius opera uti volent, & cum maiori libertate accedat, quam si cum alijs oppidi Sacerdotibus, & Parocho degat. Quinto, quod generatim supra docuimus, & hic locum habet, ut cognoscat prudens Christi præco ex illis peritis, ac fide dignis quanam spiritualia emolumenta possint eo loco percipi, tum in catechesi instituenda, tum in inducenda Sacramentorum frequentia; an sint aliqua inimicitia, & qua via pax conciliari possit; an & quæ vitia ibidem vigeant, quæ adhiberi possint remedia. Sexto, instituat usum Doctrinæ Christianæ edocendæ, si ibi non sit, vel conetur erigere iacentem, ac promouere viam, & rationem docendi, qua vtiliter exerceatur, atque ut institutio sit firma; vtile est curare (quod passim in Italia videmus) ut Oratorium aliquod, aut Congregatio huic sancto operi patrocinetur ac præsit, & ipsemet interim conuocet in aliquod templum, pueros doceat, exerceatque, ut exemplo suo alios ad idem opus vtiliter obeundum incitet simul, & erudiat. Septimo, si pium aliquod sodaliticium ibi sit aliquo modo collapsum, facilius fortasse erit, ac fructuosius instaurare, quam nouarum Sodalitatum fundamenta iacere præsertim si addatur lex aliqua ad maiorem fructum spiritualem, ut esset statis temporibus Sacramentorum usus & Nosocomia inuisendi, componendi paces, vel quid simile, maximè ei regioni necessarium. Octauo, vtile est conciliatio sibi ante Magistrum, adire interdum si ibi sit, literarium ludum, & habere concuinculas aliquas ad ipsos discipulos, explicando quæ eos scire oporteat circa Dei cultum ac venerationem, circa parentum obedientiam, circa conuersationem, modestiam, & Christianam indolem. Nono, non videtur vtilis valde illa missio, quæ post duos, vel tres dies absoluitur, præsertim si locus habeat multitudinem hominum, est enim talis visitatio similis repentino imbri, qui solam terræ superficiem leuiter aspergit, neque eam fecundat ut germinet. Pro ratione igitur multitudinis & spiritualium negotiorum diutius est immorandum. Quod si è diuersis Pagis mittantur, qui nostrum laborem exigant, præstat apud eos diuertere, à quibus spiritualis prouentus vberior expectatur, quam omnes cursim peruagare, ne curiositati potius, quam animabus studere videamur. Decimo, materiæ quas magis tractare oportet in his locis, & ad quas antequam adiret, comparare debuit, sunt eæ quæ ad renouationem spiritus, & ad vitia ex tir-

Notitia loci.

Doctrina
Christiana.

Opera pia.

Scholæ.

Quantū im-
morandum.De quibus
materijs agē
dū in pagis.

tia mittantur ad animas lucrandas, vel ex charitate sincera, id sibi operis deposcunt; nam experientia constat novos aliquos Concionatores, hæc loca ambire non hoc consilio, sed lucri alicuius temporalis gratia, qui quidem, optandum esset, vt quo magis inopia vrgentur rectè intentionem disponderent, & Christo freti, qui dixit: *Quærite primum Regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis*, tori in spirituale populorum adiumentum incumberent, verumtamen, passim in eo peccatur; sæpè audiuius multa oppida horum affectatis concionibus, & malis exemplis non solum adiuvari; sed grauitè offendi. Episcoporum esset occurrere, ne nisi viris probatæ vitæ, idoneæq; doctrinæ, ac maturi iudicij, huiusmodi functiones imponerentur, sed iam abeamus ex Pagis in aulas.

Matt. 6.

Pro his qui in Principum aulis concionantur.

Cap. X I V.

Primum omnium qui in aulis Principum hoc munus exercet, sanctæ solitudinis quantum poterit, memor sit, nunquam spectetur in aula & Palatio, numquam cum Principe, nisi quando accersitur, vel negocium graue vrget, quod ad Principis salutem, aut aliter ad diuinam gloriam spectet. Neque cum aulicis multum temporis ponat, tum quia familiaritas contemptum parit, tum ne temporis adeo præciosi iacturam faciat, vt custodiæ sui, rebusq; diuinis, ac studijs vacet; dum autem cum ijs agit, ostendat se tamquam patrem, & spiritualium rerum magistrum, pia colloquia serat, ad Confessiones adhortetur, & aliæ Christianæ vitæ exercitia, data occasione, explicet; talis sit vt qui ad eum venerint magis ob fructum aliquem animæ suæ, quam ob alias causas accedant. Secundo, in concionibus vitæ plurimum, nec noceat, aut describat vitia Principis; exulceraret enim id Principem, vilemque eius auctoritatem, & odiosum ipsum popularibus redderet, esset autem exire, & captata sagaciter occasione ex Scripturis sacris vel prophanis explicare aliqua loca, in quibus virtutes commendantur contrariæ vitijs, quibus ille subest; hoc enim cum minori scandalo auditur, & sine rubore ab eo, qui tali commonitione indiget. Exempla etiam Principum quæ benè se gesserunt, vel inter Christianos, vel inter Ethnicos honestius afferuntur. In quibus etiam cautè agendum,

Nimia consuetudo cum aulicis fugienda.

Prudentia in reprehensione.

dom, ne aduertant aulici hæc dissimulanter ad Principem, arguendum dici, sed de prudentia in reprehensionibus generatim tenenda inferius agam, quæ etiam huic loco deseruire possunt. Tertio, curet ut ita concionetur, ut & Princeps, & Optimates omnes intelligant Concionatorem loqui cum magno pondere, & ostendat verbis reuerentiam, & amorem, quem erga Principem habet, & quem omnes habere debent, & curet tum in concione, tum extra in familiaribus colloquijs, ut gratiam Principis conseruet, ita tamen ne more aulicorum, & politicorum agat, verbis quæ adulationem sapiant, sed cum grauitate Religiosa, & submissione, simul etiam ad maiorem Dei laudem conetur habere, & conseruare apud Principem, viri pij & docti opinionem, & cui primum Dei gloria, deinde Principis ipsius bonum maximè cordi sit. Quarto, in concione tanto magis fugiat omnem suspicionem adulationis, nec veritatem, vbi opus est, taceat seruando eam, quam dixi modestiam, magis amet nomen seueri, quam blandi, ne sit de eorum numero, qui cum suis Principibus nihil sincerè, verèq; agunt, sed eorum Euangelij præconum, qui ex zelo gloriae Dei veritatem loquuntur. Denique duo hic extrema vitanda, sunt, Adulatio, & inconsulta libertas, seu licentia, aliqui enim quia legerunt in sacris literis Prophetarum voces & exempla; Ioannis quoque Baptistæ constantiam, hinc existimant, esse ipsis quoque libertate vocis vtendum, nec concionatorem, nec verbum Dei alligari oportere, sed consideranda sunt multa, quæ magis prudentiam exigunt, & iudicium, quæ non faciliè possunt præscribi. Alij verò, siue decepti specie modestiæ, siue corrupti ambitionis, & captandi fauoris ignavia toti sunt in eo, ut aures Principum blandè titillent. Quare Deo se hac in parte commendet, ut à Spiritu sancti vnctione doceatur, & neque ad vnâ, neque ad aliâ partem declinet, & grauium virorum consilium audiat libenter, debet tamen Concionator coram Principe causam populi, tanquam Parronus pupilli agere, modo id nulla cum significatione arrogantæ faciat, quasi velit potestati Reipublicæ administranda, leges præscribere, sed cum magna consideratione, modestia, submissione, atque etiam vrbantate. Poterimò illud admoneo, quoniam res est difficilis in aula, & cum aulicis ita viuere, ut nihil detrimenti religionis simplicitas, & interioris hominis deuotio ac Spiritus patiatùr (quod vtinam experimento multorum non constaret, qui ex

Amor in
Principem.

Sinceritas in
dicendo.

Duo extre-
ma vitanda.

multo aulæ conuictu eius mores & spiritum politicum, vt vocant, seu aulicum hauserunt) curet quantum potest, vt Deo, & sibi vacet, suis horis, vt quantum ex vna parte periculi, & distractionum spiritus patitur, tantum ex altera spiritualium præsidiorum vigore resarciatur.

Diuerforum statuum etatum, & conditionum homines, quomodo instituendi. Cap. XV.

2. Cor. 1.

Admonendi
sunt singuli
secundum
statum suum.

Duo genera
statuum in
Ecclesia.

Cum multa sint in Ecclesia Dei hominum genera, & varietates, videtur in hac parte, ea esse debere Concionatoris prudens industria, vt si velit fructum ex singulis statibus decerpere singulorum etiam mores anima duerrat, vitia corrigat, malis oportuna adhibeat remedia, in suo quemque munere strenuè obeundo adhortetur. Ita fiet, vt sicuti corpus totum tunc bene habet, cum singula eius membra bene affecta officio suo ritè funguntur, ita feliciter agatur cum Ciuitate, cumq; Ecclesia Dei, si pro ratione sui status quicquid dignè ambulet vocatione qua vocatus est. Ob hanc causam idem D. Paulus in suis epistolis diuersos status instruit Patres, filios, dominos, famulos, rectores ac superiores, & subditos, & id genus alios, & vt hoc ipsum faciant monet Timotheum, & Titum. Propterea & ego hoc loco non esse ab institutione hac alienum arbitror, quin imò maxime conueniens, & opportunum si aliqua circa præcipuos hominum status adnotauerim, in quibus vel corrigendis, vel promouendis Evangelici Oratoris appareat industria. Sed aliqua prius generatim adnotabo. Illud primo loco, in Ecclesia Dei esse duo genera statuum. Primum politicum, & humanum; alterum diuinum; cum enim Ecclesia duplici vita constet, ac viuat, vtrumque requirit genus. Ad primum pertinent coniugati Patres familias, Rectores Urbium, ac Regnorum, exercentes diuersa munia in Ciuitatibus, Mercatores, Aduocati, Milites, artifices, & alij huius generis multi. Ad secundum verò spectant omnes qui se abdicant vxoris contubernio, atq; dominio rerum temporalium, & se ipsos alligant quibusdam præsidijs, quæ multum promouent homines ad perfectionem virtutum Christianarum, quæ tantum sunt de consilio non in præcepto. Item omnes hi qui spirituali animarum regimini præstant, & functionibus

bus Ecclesiasticis dediti sunt in diuersis gradibus, ad quod caput refertur totus ordo Ecclesiasticus ab infimo Clericorum gradu vsque ad Summum Pontificem. His positis generatim, monendus est concionator, vt interdum modum ac disciplinam eligendi statum vitae doceat, in quo sit magna prudentia cuique adhibenda. Cum enim ad bonam electionem status duo requirantur Dei scilicet vocatio, & nostra cooperatio, ac consensus, qui Deo vocanti respondeat. Ratione primi, oportebit multis precibus à Deo gratiam vocationis impetrare, vt Deus intellectum instruat ad eum statum eligendum, qui sit diuinae voluntati, & gloriae conformis, hoc enim fundamentum oportet in eligendo statu vitae statuere, vt orem cum Psalmista, Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. Et merito Deum inuocare in hoc maximo negotio debet quisque, quia Dei est proprium, & suis creaturis providere, & futuros rerum eventus prouidere, cum nos homines, & ignorantia, praesertim futurorum laboremus in intellectu, & prauis affectibus in malum saepe propensi simus in voluntate, vt ea saepe eligamus, quae in malum nostrum cessura sint.

Ratione secundi doceat Ecclesiasticus Doctor multa opus esse diligentia ad inquirendum eum statum viuendi, qui in futurum sit commodior ad Dei gloriam animaeque salutem, tanta enim hic necessaria cura est, quanta in negotio totius vitae grauissimo, ne contingat postea dicere non putaram. Igitur primum vtile erit à peccatis cor expiare, & per confessionem mundare, vt sit tanquam speculum bene tersum, quod ante Deum expositum, facile Dei recipiat influxus, & voluntatem agnoscat. Consule D. Gregorium de istis copiose differentem.

Secundo consilium etiam adhibendum est virorum prudentum, qui discretionem spirituum polleant, ita enim Deus per huiusmodi viros, suam solet manifestare voluntatem. Legat etiam historias Sanctorum qualis esset historia, quam copiose de sua electione scribit Augustinus in libro Confessionum. Tertio assidua, & matura consideratio in hac deliberatione videtur necessariò adhibenda, & iuuabit aliquando, vt huic rei melius, & cum maiore quiete vacet, per aliquot dies in locum à tumultibus, & aliorum colloquijs liberum secedere, vt Deo se, & negotijs expeditiorem praesentet.

Quartò, noster Beatus Pater Ignatius ponit quatuor regu-

Rr 3 las

Modus eligendi statum.

Psal. 142.

Hom. 21. in Euang.

A lib. 7. ad 10.

Quatuor re-
gulae super
electione
status.

las pro bona electione facienda : Prima , vt in ea curet fo-
lius Dei intuitu , & eius gloriae fine moueri . Secunda , cogitet
si esset illi aliquis carus amicus , quod ei consilium daret .
Tertia , in articulo mortis quid ei magis fecisse arridebit .
Quarta , quid fecisse vellet , cum ante Tribunal Dei sistendus
est . Haec de eligendo statu ; iam de electo tractemus .

De Prælatiſ, & Perſonis Eccleſiaſticis . Cap. XVI.

Episcopi no-
men quidna
cum admo-
net .

Descendendo ad singulos status , aduertat publicus ani-
marum instructor , quomodo singulos hortari , & ad-
monere debeat . Primum locum habeat status Ecclesiasticus ,
in quo Principes sunt Pastores , ac Prælati præsertim Episco-
pi , quæ vox significat inspectorem , vtitata etiam apud pro-
phanos auctores , suiq; officij rectè Prælatos commonet . Sui-
das refert Episcopos vocare solitos Athenienses , quos mitte-
bant ad cognoscendum , corrigendumq; statum Urbium sua-
rum , quod optimè item quadrat nostris Episcopis , à Deo ad
hoc ipsum destinatis . Plutarchus in vita Numæ , custodem sa-
crarum Virginum , Episcopum vocat , & Deum Terminum ,
quem gentes colebant ad terminos agrorum distinguendos ,
item vocat Episcopum , & custodem pacis , & amicitia , & hoc
quoque optimè consonat dignitati . Ea quæ ad Episcoporum ,
& in vniuersum ad Prælatorum munia pertinent , debet Con-
cionator tenere , vt data occasione proferat , magno tamen
iudicio ; non enim debet Prælatorum defectus corrigere pu-
blicè , nec se gerere tamquam magistrum , ac Doctorem eorū ;
tamen cum sanctitas eorum , ac zelus maximi ad Ecclesiæ bo-
num momenti sit ; potest ac debet ex scripturis , & sanctis Pa-
tribus aliqua depromere , quæ ad hoc faciant , non tam vt ar-
guere quempiam è præsentibus videatur , quàm locum Scri-
pturæ , vel historiam explicare . Qui volet multa in hanc
materiam vtilia legere , percurrat libros quatuor Pastoralis
Gregorij : Mihi sat erit primam sententiam referre , quam
habet in Prologo , & summam quatuor librorum continet .
Penſandum valdè est (inquit) cum rerum necessitas expo-
ſcit , ad culmen quisque regiminis qualiter veniat , & ad hoc
ritè perueniens , qualiter viuat , & benè viuens qualiter do-
ceat , & rectè docens infirmitatem suam , quoridie quantum
valet consideratione agnoscat , ne aut humilitas accessum
fugiat , aut peruentioni vita contradicat , aut vitam doctri-
na de-

Prolog. in
Past. lib.
Quatuor in
Prælatiſ con-
sideranda ex
D. Greg.

na desituat, aut doctrinam præsumptio extollat.] Et subdit: Prius ergo appetitum timor temperet, post autem magisterium, quod à non requirentē suscipitur vita commendet, ac deinde necesse est, vt pastoris bonum quod ostenditur viuendo, etiam loquendo propagetur; ad extremum superest, vt perfectā quæq; opera, consideratio propriæ infirmitatis deprimat.] Hæc autem sunt quatuor, quæ prudentissimus ac diligentissimus pastor D. Gregorius quatuor libris, quadripartita disputatione examinat. Ex quibus verbis colliget Concionator, monendos esse homines, ne has dignitates ambiciosè affectent, & vt qui iam ad eas assumpti sunt id curent, vt vita dignitati consonet, vt bonum exemplum cum prædicatione coniungatur, & doctrina, ac dignitas humilitate ornentur. Munus Prælatorum benè describitur sub allegoria in libris Regum, in basibus columnarum, in quibus insculpti erant Cherubim, Leones, & Boues. Debent enim Prælati veluti bases, populos & Christianam plebem sustentare; ita vt in se repræsentent Cherubin ob sanctitatem, & scientiam; Leones zelo; Boues laboribus obeundis, quæ figura congruit cum visione Ezechielis quatuor animalium cum quatuor figuris, quæ planè viros Apostolicos significant. In Exodo voluit Deus, vt Summus Sacerdos ferret nomina Tribuum Israel, tum in pectore in duodecim gemmis, tum super humeros in duobus Onichinis, quia bonus Prælati debet cum Christo posse dicere, Ego cognosco oues meas, & nominatim eas voco, & ferre eorum onera per tolerantiam & patientiam. Concionator ante omnia studeat sibi Episcopi gratiam conseruare; hæc enim fermè fundamentum est omnis spiritualis fructus, quem possit ex laboribus suis referre. Magna ex parte hic locum habet quod supra docuimus in aulis Principum seruandum. Doceat præterea populum quantum debeat omnibus Prælati honoris ac reuerentiæ, ac nominatim suis, & quantum vicissim Prælati populis, vt illud Pauli seruetur: Obedite Præpositis vestris, & subiace-

3. Reg. 7.

Figura Prælati accomodata.

Exod. 28.

Ioan. 10.

Hebr. 13.

Clericorum status quomodo admodum nendus.

nem, quibus claves Regni caelorum dedit, quos Patres animarum, ac magistros instituit. Secundo, quantum referat ad bonum totius Ecclesiae sanctitas Clericorum, & exemplum, qua de re pleraque reperiet sub titulo Iuris Canonici, de vita & honestate Clericorum. Ex quo loco intelliget, & admonere poterit quam debeant esse modesti in victu & vestitu, quam alieni a negotiis saecularibus, quam cultui diuino dediti, quae debent eleganter curare; quanto zelo Dei gloriam, & salutem animarum conseruare, quam dediti studio literarum praesertim sacrarum, & Canonum Ecclesiae, cum dicat Deus, Quia tu scientiam repulisti, repeilam, & ego te ne sacerdotio fungaris mihi. Proponat Sacerdotibus illud: Labia Sacerdotum custodiunt scientiam, & legem requirent de ore eius; quia Angelus Domini exercituum est. Aliquando admonet de temperantia in cibis, & potu; ut non ament esse in conuiujs, quod prohibetur Concilijs Ecclesiasticis; ne sint in ludis alearum, in comedijs, in choreis. Explicet rationes quibus intelligant se ad maiorem sanctitatem obstringi quam aios, tum ratione status, quia sunt lucernae super candelabrum, nec posset quicquam euenire peius, quam si verè illud dici queat, sicut populus, ita & Sacerdos; tum quia laici eos maxime obseruant, & scandalum eorum plus nocet, quam aliorum. Significet Clericis verum esse illud Chrysostr. Cum video populum indisciplinatum, aduerto defectum esse in radice; idem vocat statum Clericorum stomachum, qui si male habet, omnia membra languent. Hortetur eos maxime ad castitatem Angelicam, ut digne assistant altari, & ut fugiant cohabitationem mulierum. Nam ut testatur Cyprian. Ut quid sibi adhibuit mulierem, qui ducere contempsit uxorem? omnis inconueniens sodalitas mulierum, gluten est delictorum, & viscum toxicatum, quo Diabolus aucupatur.] Et contra Clericum concubinarium sunt grauissima poena. Legatur Hieronym. in epist. ad Nepotianum, & 13. ad Paulinum.

Osea 4.

Malac. 2.

Isai. 24. &

Ose. 4.

Homil. 44.

in 23. Ma

th.

Lib. de sin-

gul. Cler.

Diff. 32. c.

Nullus.

Qua prudentia arguendi viri Ecclesiastici.

In his autem rebus tractandis, magna opus est prudentia, ne apud populum vilescat gradus Ecclesiasticus, ne turba occasione sumat huic statui detrahendi, quod esset magni detrimentum, ne Clerici contra Concionatorem indignentur, & admonitio nihil proficiat. De prudentia in loquendo, alibi locuti sumus. Ego certè ad praesentes non conuerterem meum sermonem, sed ex Canonibus, ex Scripturis, ex sanctis Patribus, ex rationibus generatim ostenderè, quales mores hic sta-

tus requirat, quam sanctitatem hæc dignitas exposcat. Hortetur item ad celebrandum frequenter, & deuotè sacrosanctum Missæ sacrificium. Qui habent curam animarum moneantur teneri eos ad residentiam, vt patet ex Scripturis: Vigilate in custodia Sanctuarij. Agnosce vultum pecoris tui. Bonus pastor animam suam dat, & ante eas vadit, vocat nominatim. Ex Patribus idem docent multi, Hieron. August. Ambros. Rationes etiam colliguntur ex Conc. Trid. Qui Confessiones audiunt habeant tria; zelum animarum, scientiam & spiritum bonum, vt possint per primum deuorare peccata populi; per secundum distinguere inter mundum, & immundum; dirigere animas per tertium. Moneantur eius quod habet Conc. Trid. den. ne si peccatis conuieant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant ad manum parata remedia ad vulnera animarum curanda, vt periti medici, & studeant item non solum in via purgatiua pœnitentes iuuare, sed in perfectione promouere, & spirituales reddere. Quarto ad Religiosos, & Moniales cum sermo est habendus, laudabit statum religiosum, qua de re copiose, & doctè P. Hieronymus Platus in suo libro de bono status Religiosi, ostendat quanta debeat esse differentia inter eos & seculares. Hortabitur eos ad trium votorum perfectam custodiam; ad vitam communem sine proprietate, ac singularitate, ad suarum Regularum, & Constitutionum obseruantiam, ad mutuam charitatem, humilitatem, ad frequentiam orationis, tam quæ voce, quam quæ mente fit, & familiarem consuetudinem cum Deo, ad vitæ puritatem alienam à peccatis venialibus, quantum fieri potest, cum hic sit scopus proximus Religiosi, ex Cassiano, ad disciplinæ custodiam in silentio, in modo loquendi, in modestia totius hominis exterioris, in cura omnium sensuum in mensa, in somno, in choro, in cella; ad perfectam obedientiam voluntatis, iudicij, atque operis. Ad usum librorum, & colloquiorum spiritualium; denique ad exercitia Marthæ, & Magdalenæ, id est vitæ actiuæ, & contemplatiuæ.

Curati animarum.
Exod. 1.
Prou. 27.
Ioan. 10.
Epist. ad Ocean. 3.
Epist. 58.
Lib. de dignit. Sacerdotali.
Sess. 23.
Confessarij.
Sess. 13. & 14.

In collat. Abb. Moyss. c. 6.

De Principibus & Magistratibus secularibus.

Cap. XVII.

Veniamus ad statum sæcularem, & Primo loco intelliget quomodo sint monendi Principes, quibus populi subiecti sunt,

sunt, debent enim Religionis, ac Ecclesiæ causas præ omnibus rebus habere, vti fecerunt Constantinus & Carolus, quorum vterque magni nomen adeptus est. Populum sibi subditum quã filios diligere, nec premere, ne dicatur illud: Leo rugiens, & vrsus esuriens Princeps impius super populum pauperem; non dissimulare delicta, ne dicatur ei: Erit anima tua pro anima eius, quia dimisisti virum dignum morte. Cyprian. horum iustitiam vult esse neminem per potetiam opprimere, sine acceptione personarum iudicare; aduenis, viduis, ac pupillis se defensores præbere, cohibere insolentes, adulteria punire, iniquos non exaltare, impudicos histriones non nutrire, impios de terra perdere, Ecclesiã defendere, pauperes elemosinis alere, viros iustos super negotia Regni constituere, sapientes, & sobrios Consiliarios habere, iracundiam differre, patriam fortiter, & iustè defendere, prosperitatibus nõ eleuari, aduersa tolerare, in Domino cõfidere, filios suos non finire impiè agere.] Rectors ac Magistratus, seu Iudices Ciuitatis, vbi se offert occasio, doceat bonum ciuitatum; ac populorum magna ex parte pendere ex bono Magistratu, qui est lex animata, & viua, sicuti bonum corporis ex capite, quam ob causam Plato dicebat tum beatas fore Respublicas, quãdo à sapientibus regerentur, & contra ex eodem fonte manare perniciem, sicuti periculum nauis ex imperito nauclero, & negligente. Qualis rector Ciuitatis, tales inhabitantes in ea. Et omne caput languidum, & omne cor mœrens, hi sunt qui regendi officio male funguntur; vnde sequitur, A planta pedis vique ad verticem capitis, non est in eo sanitas. Et, Vx terræ cuius Rex puer est, & Principes mane comedunt. Explicet aliquando partes eorum qui regunt ciuitatem, quæ sunt, vt sint valde amici religionis, & diuini cultus, sicuti ipsi quoq; Romani Ethnici olim causam Religionis omnibus negocijs præferebant, vt sint sapientes & prudentes; ob id dicitur, Beata terra, cuius Rex sapiens est, vt sint iusti, quia sapientia sine iustitia, calliditas est. Diligite iustitiam, qui iudicatis orbem, vt sint fortes ad superandas difficultates. Noli quærere fieri iudex, nisi valeas virtute multa irrumperè iniquitates. Ad subeundos labores magnanimi, vt possint dici, Currus Israel, & auriga eius. Moyse dictum est: Prouide de omni plebe viros potentes & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam, & constitue ex eis Tribunos & Centuriones, &c. qui iudicent populum omni tempore. Doceat iustitiam Dei esse seu-

Prou. 28.

3. Reg. 20.
Iustitia Principi & mores.

Lib. de 12. abusib. c. 9.

Magistrat.

Eccles. 10.

Isai. 1.

Eccles. 10.

Mores Rectorum.

Eccles. 10.

Sap. 1.

Ecc. 7.

Exod. 18.

severam contra malos Rectores, sicuti in Numeris suspensi *Numer. 25.*
dicuntur. Dei mandato, Principes Tribuum, qui non prae-
merunt peccata illius populi, & tales sunt, de quibus ait Isa-
ias: Principes vestri infideles, socij furum; omnes diligunt *Isai. 3.*
munera, sequuntur retributiones, pupillo non iudicant, &
causa viduae non ingreditur ad illos, Et populum meum ex- *Isai. 3.*
ciores suis spoliauerunt, & mulieres dominatae sunt eis, qua-
re atteritis populum meum, & facies pauperum commoli-
tis? &c. Et, vae qui condunt leges iniquas, & scribentes, in- *Isai. 10.*
iustitiam scripserunt. Denique ostendat quomodo oporteat
eos peccata populi praevenire, abusus, & malas consuetu-
dines non tolerare, calamitatibus subuenire, non graua-
re populares; commune bonum quaerere, non propriam vti-
litatem, ita tamen omnia haec apte, modeste, caute, sicut
sapius dictum est, agat ut nemini causam offensionis, aut
querimoniae offerat.

De Nobilibus, ac Diuitibus. Cap. XVIII.

Tertio obseruet, ac sciat conditiones Magnatum, No-
bilitum, & diuitum, quorum vitia corrigat, & virtutes
promoueat. Mali nobiles, ac diuites laborant his vitijs, *Vitia malo-
rum nobilitu
ac diuitum.*
quae debet prudens Concionator incessere, scilicet superbia,
& ambitione. Paulus: Praecepit (inquit) diuitibus huius saeculi
non sublime sapere, nec sperare in incerto diuitiaru suarum,
sed in Deo viuo, & vero. Contemptu inferiorum, qui sibi
pares non sunt in nobilitate. Elenatum est cor tuum in de- *1. Tim. 6.*
core tuo, facile despiciunt non solum eos, qui nullos habent
honores; sed etiam eos, qui habent si sint noui in aliqua *Exod. 28.*
dignitate: vanitate in vestitu, ludis, venationibus, conui-
uijs. Vae qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis. Vio-
lencia, sic fortitudo nostra lex iniustitia. Non opprimis pro- *Isai. 5.*
ximum tuum, quia enim opibus abundant, quae omnibus re- *Sap. 2.*
bus equiparantur, ob id insolentes enadunt & contumelio- *Leuit. 19.*
si. Prodigalitate, vnde pereunt saepe familiae, quia plura
expendant, quam suppetant contra illud Psalm. Neque am-
bulavi in magnis, neque in mirabilibus super me. Aliqui *Psal. 130.*
eorum, vicam per segne otium transigunt. Aliqui plus nimio
delicijs indulgent, ut diues epulo, qui epulabatur quotidie
splendide, & induebatur purpura, & bysso. Aliqui contem-
tiosi, & fouentes factiones. Alij per potentiam (ut ait Ia-
cobus)

- Iacob. 2.*) opprimunt, & ad iudicia trahunt inferiores. Ali-
qui vix de animæ suæ salute, & vita spiritali cogitant, qui-
bus sæpè mors repentina superuenit, ac dicitur eis illud:
Luc. 12.) Stulte hac nocte repetent animam tuam, & Recordare quia
Luc. 16.) recepisti bona in vita tua. Cum tamen contra veri nobiles,
& diuites debeant studere veræ nobilitati, atque ijs opibus,
quæ in animo magis, ac virtutibus, quam in sanguine, ac
rebus externis sita sunt. Horum opera ac fructus sunt Chri-
stiana submissio, & humilitas, secundum illud: Quanto ma-
ior es, humilia te in omnibus. Castitas, quia vera animi no-
bilitas horrescit foedis vitijs vitam commaculare. Benigni-
tas ad largiendum digna animo nobili, cui sordes, & illibe-
ralitas aduersantur. Et sanè diuites tenentur pro ratione sta-
tus sui in graui necessitate eleemosynas dare, & debent exi-
stimare respectu Dei se non esse Dominos, sed dispensatores
bonorum quæ possident, vt Christus significat in parabola vil-
lici. Doceat Concionator Nobiles, ac diuites debere esse er-
ga Deum fideles, ac religiosos, sicut miles nobilis, & honora-
tus debet fidem suo Regi obseruare; erga homines, benignos,
ac liberales; erga se modestos, & castos.

De parentibus, ac filijs, Dominis, ac famulis.
Cap. X. I. X.

Parentes hortetur ad bonam educationem filiorum in
disciplina Christiana, de qua educatione potes videre
Bernar. de ordine, & vita morum. Chrysostr. in homil. de
Anna matre Samuelis, & in Homil. de obseruantia parenti-
bus debita, in illa Pauli verba: Vir, & mulier saluantur per
generationem filiorum. Hieronym. epist. ad Gaudentium,
& ad Ietam. Ex prophanis Plutarchus in opus. de educa-
tione liberorum. Plato. in libro de Republica, nihil magis
inculcant quam hoc. Catechismus Romanus de hoc agit
in quarto præcepto. Olim etiam in Monasterijs Religioso-
rum iuniores educabantur; Proponat ex hac bona educa-
tione, disciplinæ Christianæ custodiam, maxime conserva-
ri, explicet in quo sita sit hæc parentum obligatio, videlicet
vt filij erudiantur in cultu, & Religione Dei, in deuo-
tione Beata Virginis, & Sanctorum. Discant doctrinam
Christianam, præcepta Dei, & Ecclesiæ, & assuescant ea,
quantum per ætatem licet seruare; adeant loca sacra, &
affue-

- quos in familia vitijs seruientes, qui malo exemplo vitæ alios domesticos corrumpant, si abutantur opera famulorum ad peccata, vel inimicitias fouēdas, si sint similes ei, de quo Eccl.
- Eccl. 4.* Noli esse in domo tua quasi leo euertēs domesticos, & opprimens tibi subiectos, si debitam mercedem, ac victum necessarium eis denegent, si plus æquo eos laboribus grauēt, Quomodo autem rectē, ac Christiano modo se gerant, poterunt discere
- Sur. tom. 5.* ex vita S. Elzeari Comitis, qui optimas regendi familiā leges seruabat, has videlicet, vt omnes quotidie sacro interessent, vt castē viuere, alioquin de familia excluderentur, vt qualibet hebdomada confiterentur peccata sua, & semel saltem in mēse communicarent, vt haberent tempus orationis, vt suo tēpore laborarent, vt abstinerent à iuramentis, & blasphemijs, & colloquijs turpibus, vt pacem inter se seruarent, vt abstinerent à ludis prohibitis.] Has easdem regulas ipsis famulis concionator debet inculcare, monens eos cum Paulo; Serui obedite, per omnia Dominis carnalibus, non ad oculū seruientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis, timētes Deū, quodcunq; facitis ex animo operamini sicuti domino, & non hominibus, scientes quod à Domino recipietis hereditatē retributionis. Moneat famulos, & famulas, vt sint fideles dominis suis, vt diligenter sibi commissa exequantur, vt Iacob seruans Laban, non furentur, aut malē administrarent bona dominorum; Inter se ita uiuant, vt non se iniuste accusent, nō detrahant, non inuideant, non se insectentur mutuō; Denique seruet quantum possunt regulas S. Elzeari, & condiciones quas Regius Dauid in sua optabat familia cum diceret; Oculi mei ad fideles terræ, vt sedcant mecum, ambulans in via immaculata hic mihi ministrabat, qui loquitur iniqua, non direxit in conspectu oculorum meorum.

De Coniugibus, Viduis, ac Virginibus. Cap. XX.

QVinto sunt admonendi Coniuges, vt in suo statu benè se gerant Viduæ, ac Virgines. Circa Coniugium antequā homines contrahant, & obligent se matrimonio, admonendi sunt, vt seriō commendent Deo electionē sui status, ne si precipites ferantur, facti eos postea pœniteat, vt sæpè euenit, cum iam non datur facultas remedij, ob indissolubile matrimonij vinculum. Multas esse matrimonij molestias intelligāt, ne postea cogantur dicere non putaram, de quibus multi ex SS. Patribus

tribus scripserunt. Qui verò ad eam vitam animum applicuerunt, monendi sunt eius, quod Angelus Tobiam docuit, *Tob. c. 2. 8.* Qui matrimonium ita suscipiunt sicut equus, & mulus, super hos potestatem habet Dæmonium. Tu autem accipies uxorem cum timore Domini, & iterum filij sanctorum sumus, ita coniungi non debemus sicut gentes, quæ ignorant Deum. Debent se mutuò diligere. Viri diligite uxores vestras, sicuti Christus dilexit Ecclesiam, vide quam castus, quam Christianus, & honestus debeat esse amor coniugum; cum contra sint omni reprehensione digni, qui amore quodam lasciuo ducantur. Explicet bona matrimonij esse fidem prolem, & sacramentum. Hortetur vt se mutuò adiuuent in omnibus in cura rei familiaris, & totius domus regimine, vt se honorent sicut Abraham uxorem suam colebat, & ipsa vicissim illi tum honorem præstabat Dominum suum vocans, tum obedientiam, vt docet Paulus, mulieres debere viris esse subditas, & honorem exhibere. De statu Viduitatis multa poterit ex scripturis Concionator asserre, in quibus Spiritus sanctus hunc Viduitatis statum coniugio præfert, & fructum sexagesimū ei tribuunt sancti, sicut trigesimum coniugio, & centesimum virginitati. Paulus Honora (inquit) Viduas quæ verè viduæ sunt; Hoc affirmat propter eas viduas, de quibus infra dicturus erat. Adolescentiores viduas deuota intelligit eas, quæ cum luxuriatæ fuerint, in Christo nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt, & subdit, simul autem & otiosæ discunt circumire domos, non solum autem otiosæ, sed & verbosæ, & curiosæ, loquentes quæ non oportet, iamq; conuersæ sunt retro post Sathanam. Sunt & aliæ viduæ, quæ licet honestè viuant, tamen volunt nubere suo tempore, vel si non eum animum habeant, tamen non est propter Deum, sed vt viuant maiori cum dominio, ac libertate, & mundi honores sectantur, ac delicias, & opes. Paulus etiam ait, Vidua in delicijs viuens, mortua est; sed quæ verè vidua est propter Deum, eligens hunc statum, ait Paulus; Speret in Domino & inuestet orationibus die, ac nocte, & paulo post; Præcipe vt irreprehensibiles sint, quales fuerunt Iudith, Anna, & quarum meminit Hieronymus, Paula, Blefilla, Melania, qualis & Olimpia D. Chrysostomi discipula. Modum & institutionem talium viduarum habet Hieronymus scribens ad Furiam, vbi hortatur ad modestiam victus, & vestitus seruandæ continentie causa; Ad Saluinam item fusè, rursus ad Geruntiam.

Lege

Coniugum
mutua officia.
Ephes. 5.

*Ibid.**Timoth. 5.*

Duplex genus viduarum.

*Tim. 5.**Ibid.*

Leges vidua
rum.

Lege Augustinum libro de Viduitate. Poterit Concionator has admonitiones Viduis proponere; Vt sint contentæ eo statu, neque velint ad secundas nuptias transire, & in eostatu intelligant se multum posse Deo placere, vt maximè afficiantur ad continentiam, & ad pudicitiam, & ad eam conseruandam, fugiant vana colloquia, abstineant à delicijs corporis tam in vestitu, quàm in cibis. Non debent esse intenta accumulandis opibus, vt aliquibus contingit, quæ amorem mariti in amorem patrimonij, & pecuniarum conuertunt, sed magis seruiant operibus misericordiæ, Orationi sint dedita, sicut erat Anna, in Euangelio celebris, quæ non discedebat de templo, ieiunijs, & orationibus vacans; sacramenta frequentent; Habeant Patrem spiritualem, cuius prudentia dirigantur, nec sibi fidant; si iam statutum, ac omnino certum apud se habent non contrahere matrimonium nouum, adhibito etiam patris spiritualis prudente consilio, vtile erit Castitatem voto Deo offerre, ob maius meritum, & maiorem pudicitæ custodiam; Si habent familiam, dent operam, vt eam diligenter instituant in vita spirituali, & quantum poterunt etiam alias ad Christum adducant.

Luc. 2.

Virginitatis statum ex scripturis, & SS. Patribus laudandi copiosus est Campus. Cyprian. de hab. Virg. Ambros. lib. de Virginitate, Gregorius Nazianz. tractatu de Virg. Hieronym. ad Demetr. ad Eustochium. Bas. lib. de vera integr. Virginitatis. Institutionem Virginis inuenies apud Hieron. Epist. ad Demetriadem, quam hortatur ad frequentes orationes, & ad manuum laborem in lana, vel simili opere, etiam si non indigeat ad vitæ usum, sed vt occupata semper sit. Graues (ait) scemina, & maximè Virgines, & Viduæ tibi comites eligantur, quarum probata sit conuersatio, sermo moderatus, sancta verecundia, fuge lasciuia puellarum, quæ ornant capita, crines à fronte demittunt, cutem poliunt, vtuntur pigmentis, astrictas habent manicas. Illa sit tibi pulchra & amabilis, quæ nescit se esse pulchram, quæ negligit formæ bonum. Cincinnatulos pueros, & calamistratos, & peregrini muris olentes pelliculas quasi pestes, & venena pudicitæ deuita. Hortatur ad ieiunium. Ieiuniorum ait tibi sunt arma sumenda, & canendum cum Dauide; Humiliabam in ieiunio animam meam, nec vult tamen immoderata ieiunia, quibus ait, cito corpora delicata franguntur, & antea ægrotare incipiunt, quàm sanctæ conuersationis iacere fundamenta. Ad modestiam, & obe-

Epist. 8. ad
Demetr.
circa fin.

Leges pro
Virginibus.

Psal. 34.

& obedientiam imitare sponsum tuum Christum, qui fuit parentibus subiectus, esto auia, matrique subiecta, nullum viro- rum & maxime iuuenem, nisi cum illis videas, nullum scias, quem illa nesciant. Rideri, & ridere secularibus relinque] Præter orationem temporibus suis: addit, Cibi non fumantur nisi oratione præmissa, nec à mensa surgendum, nisi gratiæ referantur creatori. Egredientes de hospicio, armet oratio, regredientibus occurrat oratio priusquam sessio] Hortatur ad solitudinem, & cautelam in Epistola ad Eustochium. Obtestor ait coram Deo, & Angelis eius, ne vasa Templi facile in publicum proferas, ne Sacrarium Dei quisquam prophanus inspiciat. Oza arcam, quam non licebat attingens, morte subita prostratus est, neque enim vas & argētum tam Deo carum fuit, quam templum corporis Virginalis] D. Basil. ad custodiam sensuum omnium, maxime adhortatur Virgines, Sancta (ait) Virgo sen- sum fenestris custodem admoueat rationem, eorumq; ad ex- teriora progressum, nequaquam transitu libero permittat.

Epist. 22.

Lib. de ve- ra Virgini- tate.

De Pueris, Iuuenibus, Viris, Senibus, ac Mulieribus. Cap. XXI.

Veri admoneantur vt maioribus deferant, eorumque con- filijs adhæreant, & senum doctrinam audiant, vt Christus erat inter Doctores audiens & interrogans, vt ab omni puerili leuitate abstineant. Tobias nihil puerile gessit in opere, vt Tē- pla, & Conciones libenter adeant; exemplo D. Nicolai, stu- dijs vacent à prima ætate. Paulus ad Timotheum, Ab infantia literas sacras nosti. Abhorreant consuetudinem malorum, vt Tobias, Nunquam (ait) cum his qui in leuitate ambulant participem me præbui. Domi se contineant inter suos, sicut laudatur Iacob quod domi moraretur. Assuescant Sacramento confessionis etiam in minimis peccatis, sicut etiam de his mi- nutissimis accusat se Augustinus in confessionibus; Denique vt obseruent illud Ecclesiastici, Fili à iuuentute tua excipe do- ctrinam, & vsque ad canos inuenies sapientiam. Adolescentes, & iuuenes doceantur eam ætatem esse florem totius vitæ, in qua maxime debeant Deo seruitutem exhibere Eccles. Memē- to Creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ, antequam veniat tē- pus afflictionis tuæ, & appropinquent anni de quibus dicas nō mihi placent, & Malach. Maledictus homo, qui habens in gre- ge suo masculum (hæc est ætas iuuenilis) & votum faciens im-

Pueri.

2. Tim. 3.

Tob. 3.

Gen. 25.

Lib. 10.

Eccl. 6.

Leges pro Iu- nioribus.

Eccl. 12.

Mal. 1.

immolat debile Domino (hoc est senectam) quia magnus ego, dicit Dominus exercituum, & Hierem. Bonum est viro cum portauerit iugum ab adolescentia sua. Explicet tum maxime adhibendam esse diligentiam, quando maiorem difficultatem suggerunt fomes concupiscentiae, ac perturbationum impetus.

Tbren. 3. Inde enim dicitur Prouer. tria sunt difficulta, & quartum penitus ignoro, quod est via viri in adolescentia sua. Moneat valde esse periculosum si eo tempore prauos vitiorum habitus contrahant, cum habitus difficile amoueat, etiam in senectate, vt Spiritus Sanctus docet, Adolescens iuxta viam suam etiam cum senuerit, non recedet ab ea. Proponat huic aetati quanti momenti sit mature deliberare de statu eligendo, quem tenere debeat tota vita, quam deliberationem difficillimam esse declarat, non solum quia totius vitae negotium agitur, sed etiam quia debet fieri in aetate, tum imprudente, tum perturbationibus subdita. Quare Deum orandum esse vt inspiret quod ad eius gloriam aptius futurum sit, & animae suae salutem, & diu multumque rationes perpendat, antequam certi quicquam decernat, & patris spiritualis ac sapientum adhibenda consilia, & alia quae supra proposuimus. Admonendi praecipue sunt, vt detestentur vitium incontinentiae, ostendendo eius turpitudinem, & mala quae secum affert, & quomodo debeant occasionem eius euitare, & ante omnia conuictum & consuetudinem eorum, qui incontinenter viuunt, a qua tanquam a peste, & incendio, longissimè fugiendum est. Contra excitandi ad pudicitiae, atque honestatis amorem, proponendo eius pulcherrimam formam, & tam multa, quae secum bona omnibus apportat. Mores Iuuenum qui sint, in secunda parte ex Aristotele tetigimus. Inde poterit Christianus Orator iuuentutem docere & hortari; Exempli gratia, quoniam sunt ad cupiditates proni, moneantur ne amore voluptatis, Dei voluntatem, ac legem parui faciant, & quia sunt studiosi sodalium in conuiuendo magis quam caetera aetates, curent ne prauorum iuuenum consuetudine deliniti, ad peccata trahi se sinant, Prouer. Fili mi, si laetauerint te peccatores, ne acquiescas eis, Et quia rerum agendarum experientia carent, non sinant se a peruersis circumferri in malum; Et quia solent esse audaces, & animosi, doceat veram magnanimitatem in superandis animis inconditis affectibus, praecipue sitam esse. Et quia facile mutantur, explicet quam sit res indigna Christiano & graui Iuene leuitas puerilis. Remedia ad continendam Iuuentutem in officio sunt, su-

Iuuenes quo modo ad virtutem inducendi.

Prou. 1.

ga otij, custodia sensuum, ac linguæ, studia literarum, consuetudo cum viris prudentibus ac bene moratis, lectio librorum spiritualium, & auditio verbi diuini. Sacramentorum frequentia, orationis studium, Deuotio ad Beatissimam Dei Genitricem.

Ad Viros ætate matura, & graui ornatos ita sermo est habendus, vt agnoscant ingenium, ac indicium quo vigent Dei gloriæ accomodandum esse vt iuuenibus exemplo sint. Senes non nisi modeste sunt reprehendendi, maximè si iuuenis sit concionator. In quo autem sint monendi, Paulus scribit; Senes sobrii sint, pudici, prudentes, fani in fide, in dilectione in patientia. Anus in habitu sancto, non criminatrices, non multo vino feruientes, benè docentes. Si quando ad mulieres vel solas, vel cum alijs inter concionandum orationem habet, monebit ne cultui corporis immodico sint deditæ, sed seruent quod eas docent Ecclesiæ Principes Petrus & Paulus. Ille ait, Quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut induimenti vestimentorum cultus; Hic vero Mulieres cum verecundia, & sobrietate ornantes se, non in tortis crinibus, & auro aut margaritis, vel veste præciosa, sed quod decet mulieres promittentes pietatem per opera bona. Contra fucum mulierum, maximè Cyprianus inuehitur, quas ait à Deo non esse cognoscendas, vt quæ figuram aliam acceperint ab ea, in qua Deus eas formauit. Opus hoc (dicit Deus in iudicio) meum non est, nec imago mea est, cutem falso medicamine polluistis, crinem adulterino colore mutastis, expugnata est mendacio facies, figura corrupta est, vultus alienus est, Deum videre non potestis, non est iste color quem Deus fecit, sed quem Dæmon infecit.]

Non debent esse otiosæ, non verbosæ, non vagæ, vt illa mulier vaga, & garrula non valens consistere in domo sua, debent esse elemosynis deditæ vt illa quæ manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem; debent esse occupatæ vt de eadem canit Spiritus Sanctus; Apprehendit lanam & linum, & panem otiosa non comedit; habeant tempus orationis, curam domus diligenter exerceant, adiuuent viros suos in spiritualibus, non consentiant in vsuris, vel alijs peccatis. Et quoniam periculosa est nimia familiaritas cum viris, moneantur mulieres vt vitent frequentia colloquia cum eis, tum periculi sui causa, tum alieni; ament silentium quia in Prou. dicitur, qui custodit os suum, & linguam suam, custodit ab angustijs animam suam. Et quoniam mulieres ad pietatem procliuës sunt,

Ss 2 propo-

Viri & Senes.

Ad Tit. 2.

Mulieres.

1. Pet. 3.

1. Tim. 2.

Lib. de disciplin. & hab. Virg.

Prou. 7.

Prou. 21.

Contra Me-
retrices .

proponat sancta opera quibus dedita esse debent , vt sunt ora-
tiones, sacramenta, elemosynæ. Si quando ad mulieres prosti-
tutas & meretrices, vel aliter male viuentes habebitur sermo,
vel inter concionandum de ijs mentio incidet, toto hoc de ge-
nere cum nausea, & stomacho dicet, significans quam sint à de-
monibus possessæ ; & inferni catenis alstrictæ , & instrumenta

Eccl. 9.

Diaboli ad animarum ruinam. Ostendat primo quam grauius
peccent non solum in malum suum, sed in scandalum multorum,
sunt enim quasi incendiariæ Ciuitatum; Colloquium illius quasi
ignis exardescet , & non solum rebus aut corporibus inferunt
damnum, sed maximè animabus quas laqueis diaboli irretiunt;

Prou. 7.

Eccl. 7.

Nam Ad vincula stultus rapitur ; & Inueni amariorem morte
mulierem, quæ laqueus est venatorum (id est dæmonum) sage-
na cor eius, vincula manus. Secundò quam sint abominabiles,
ac detestandæ ; Mulier fornicariæ quasi stercus conculcabitur,

Eccl. 9.

præsertim cum amittitur verecundia , & pudor, in peccato vi-
lissimo, & tam infami, quod Deus maximè odit. Tertiò propo-
nat ea quæ renouare possunt ab hoc barathro, quæ sunt, Dei be-
nignitas Hierem. Tu autem fornicata & c. veruntamen ad me
reuertere dicit Dòminus; Timor gehennæ. Veni ostendam tibi
damnationem meretricis magnæ ; Gratia item concessa B. Ma-
riæ Magdalenæ post conuersionem, quæ prius erat infernus qui-
dam dæmonum , facta est paradisi Angelorum , quæ (vt ait
Augustinus) Frontosa erat ad perditionem, sed frontosior ve-
nit ad salutem .

Hier. 3.

Apoc. 15.

In Ps. 125

Augustinus) Frontosa erat ad perditionem, sed frontosior ve-
nit ad salutem .

De alijs Statibus . Cap. XXII.

Aulicorum
peccata .

Act. 17.

SEPTIMO eodem modo pro loco ac tempore poterit admone-
re sui officij omnes alios in quocunque statu; scilicet Auli-
cos Aduocatos Medicos, Mercatores, Milites, artifices, paupe-
res, ac mendicos. Aulicorum status non caret periculo. Pecca-
ta eorum sunt, Adulationes, simulationes, mendacia, quia veri-
tas odium parit , quare sapienter à multis dictum hoc vnum
deesse Principi, cui omnia videntur præsto esse , nempe qui ve-
rum ei dicant. Inuidiæ inter sui similes, obtrecciones & infam-
iæ, ambitiones, deliciofa, ac proinde mollis, & delicata vita,
plurimorum seges malorum . Solent spargere falsos rumores
sæpe cum infamia aliquorum , quia plerique illorum laborant
illo vitio quod dicitur in actis Apost. Ad nihil aliud vacant,
quàm aut dicere, aut audire aliquid noui, non solent esse mis-
ericordes

ricordes erga calamitosos . Aduocati sunt admonendi graue
 peccatum , esse adeoque ad resarcienda damna eos saepe teneri
 si iniustam causam defendant , si inscitia iuris & legum labo-
 rent , si negligenter studio & defensioni attendant , si falsum
 aliquid in suis , vt vocant , allegationibus afferant ; si vtantur
 fraudibus ; si petant superfluas dilationes , quo plus lucrentur ;
 si maiorem iusto mercedem accipiant . Moncantur vt libenter
 defendant causam alicuius Vidue , aliquando , aut pupilli , & me-
 dici qui iniuste oppugnentur idque faciant sine mercede , solum
 ex amore Dei , quando id opus tantum tamque saepe Deus com-
 mendat . Medicos hortetur ad bene suum munus exequendum ;
 Debent enim esse suae professionis periti , ne vitam aegroti in
 discrimen adducant , facile enim euenire posset vt aliqui per in-
 scitiam , rei fierent mortis multorum , si minus apta medicame-
 ta praebent . Debent diligentes esse in uisendis : quos curandos
 suscipiunt , praesertim vbi res sit grauis & dubia . Quare non de-
 beret quisquam , nisi sit valde peritus multorum aegrorum cu-
 ram assumere , quibus non possit commodè providere . Caueant
 ne propter lucrum differant sanitatem . Contra eos qui praebent
 medicinas , quae sint contra Dei praecipua . Extat excommunica-
 tio lata sententia extra de poen . & rem . Videant vt liberandis
 hominibus a lege ieiunij Ecclesiastici adsit legitima causa . Ser-
 uent decretum quod habetur ext . de poen . & rem , cap . cum in-
 firmis , scilicet vt aegroti aduocent medicos animarum , & co-
 nescantur peccata , & ipsi vehementer timeant seuerum Dei iudi-
 cium si ipsorum culpa absque Sacramentis aegroti ex hac vita
 discedant . Admoneantur misericordiae erga pauperes , qui non
 possunt mercedem persolvere , qua cum magno fenore a Chri-
 sto recipiunt . Ob id deberent aliquos huiusmodi aegrotos sem-
 per miserere , & etiam proprijs elemosynis aliquid eis provide-
 re , qui in graui necessitate versantur . Doctores qui docent Phi-
 losophiam , seruent decretum Concil . Lateran . sub Leone Deci-
 mo , Ludj magistri debent habere zelum virtutis , vt pueros edu-
 cent in pietate Christiana , non solum in literis humanioribus ,
 non praelegant eis libros in quibus aliquid lasciuum appareat ,
 curent vt omnes saltem singulis mensibus accedat ad confessio-
 nis Sacramentum , non permittant eos licenter versari aut col-
 loqui , sed instituant in amore pudicitiae . Milites audiant illud
 ex Ioanne Baptista . Neminem concutiatis , nemini calumniam
 faciat , estote contenti stipendijs vestris . Abstineant ab impu-
 dicitia , rapinis , sacrilegijs blasphemijs , a bello iniusto , pugnec

Aduocatoru peccata .

Medici quid prestare debeant .

Cap. cum Infirmis .

Doctores .

Milites . Luc . 3 .



Mercatorum
peccata.

Psal. 70.

Cap. 21.

Matth.

pro fide, pro iustitiæ defensione. Habeant mundam & benè paratam semper conscientiam, quia in perpetuò discrimine vitæ sunt; Sacramenta frequentent. Mercatores & camplores aliqui Sanctorum vehementer reprehendunt Chrysostrmus Augustinus, & Cassiodorus in illud, Quoniam non cognoui literaturam; Vbi septuaginta interpretes vertunt, Mercaturam, Non quod eorum status illicitus sit, cum satis constet necessarium Reipublicæ esse, sed quia est periculosus, tum propter improbitatem eorum, qui fraudibus, ac mendacijs ius peruertunt, dum merces plus iusto præcio diuendunt, vel occultant vitia, tum propter lucrum, quod ut finem vltimum facile sibi proponunt, Deum, & conscientiam offendunt, & aliqui versiculum illum re ipsa assidue decantant, O ciues, ciues quærenda pecunia primum est, Virtus post nummos. Adeo ut dicat Eccl. Dux species, difficiles ac periculosæ mihi apparuerunt, difficile exitur negocians à negligentia, & non iustificabitur Caupo à peccatis laborum, difficile planè est inter ementis, & vendentis commercia non interuenire peccatum. Fortè posset dari Mercatori bonum consilium hoc. Primum ut si aliter suppetit vnde viuat abstineat à mercatura, cum semper tutior via eligenda sit. Secundò si hoc non licet saltem curet ne in hoc officio vitæ absoluat, sed vbi aliquid acquisiuit, rationibus diligenter compositis, ne aliquid mali in conscientia relinquatur, imponat negocijs finem ne eueniat ei, quod ait Chrysostrmus piscatori cuidam contigisse, qui cum piscibus plena esset nauicula, & tamen adhuc piscationi infisteret, aduerso oborto vento, & pisces, & nauiculam, & vitam amisit. Tertiò saltem ponat modum lucris, & cupiditati, ne crescat sine vilo termino cum omnes aliæ artes suis terminis concludantur. Artifices & laboribus manuum occupatos scriptura sacra laudat. Non oderis laboriosa opera, & rusticationem creatam ab altissimo. Quasiuit lanam, & linum, & operata est consilio manuum suarum. Abel fuit primus pastor, & multi ex antiquis Patribus pastorem vitam egerunt. Tubalcaim primus faber in opere ferri & æris. Magis autè laboret manibus suis, (ait Paulus) ut habeat vnde tribuat necessitatem patienti. Hi seruent præcepta Dei & Ecclesiæ. Diebus festis frequentent Sacramenta & Conciones. Si habent occasionem, piæ alicui sodalitati se adiungant, quales solent in multis Ciuitatibus reperiri. Si habent familiam, diligenter curent, ut in timore Dei viuat, suo etiam labore sustentet. Nec sint ei similes de quo dicitur operarius ebrius

Cõsiliu bo-
nũ pro Mer-
catore.

Boni Artifi-
ces.

Eccl. 7.

Prou. 31.

Gen. 4.

Ephef. 4.

sus non locupletabitur; sicut etiam qui ludis est deditus ad ino-
 piam se ipsum, & totam familiam in angustias redigit. Nemi-
 ni fraudem faciant in suis operibus, sed iustitiam colant, & ve-
 ritatem. Pauperes & medici ante omnia consolatione indigent,
 ut intelligant Deum non parui eos facere, cum magis contra
 diuites, sacræ literæ inuehantur. Væ vobis diuitibus. Et Væ væ
 Civitas illa magna quoniam vna hora venit iudicium tuum, Et
 recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala, nunc autē
 ille consolatur, tu verò cruciaris. Monendi sunt tamen, & incre-
 pandi mali pauperes, de quibus dicitur, Nequissima paupertas
 in ore impij, quales sunt qui furantur, blasphemant, exponunt
 se peccatis, murmurant contra Deum desperant, raro accedūt
 ad Sacramenta, modicam suæ salutis curam habent. Contra
 quos clamat scriptura. Qui tentationes non susceperunt & im-
 patientiam suam, & improprium murmurationis suæ contra
 Dominum protulerunt exterminati sunt. Utile esset ut institua-
 tur aliqua congregatio ex his ipsis medicis ad quam certo die
 conueniant, vbi doceantur, & excitentur ad pietatem, & ut li-
 benter conueniant, aliquid eis elemosynæ, & corporalis alimē-
 ti corrogetur ut Romæ fit, vbi ad radices Montis Quirinalis
 Pauperulorum Hebdomadaria conglomeratio, in Aede San-
 cti Vitalis congregatur, qui tum singulatim à nostris nouitijs
 circa res Christianæ disciplinæ, tum ab Ecclesiaste, è superiore
 loco instituuntur; atque inde post litanias decantatas singu-
 lis viricim pane, & pecuniolis, piorum ad id liberalitate corro-
 gatis subuenitur. Quod ideo hic monuisse me non piguit, tum
 ut Christianos ad simile pietatis opus impellerē, tum ut istius
 Catecheseos fructus palam fieret, qui non corpori modo, ve-
 rum etiam animabus egentium est proficiuus, quod & Confes-
 sionum frequentia demonstrat, & pia ad Sanctissimum Sacra-
 mentum altaris deuotio, quod mensibus singulis in eodem
 Templo non sine concursu pauperibus iisdem porrigitur.

His quæ à me hæcenus dicta sunt de varijs hominum stati-
 bus, poterit diligens Verbi Dei præco annectere quæ in tertio
 libro toto, sui pastoralis prudenter colligit S. Gregorius, vbi se-
 ptuaginta duo personarum genera numerat, quibus propria sunt
 admonitiones assignandæ, aliter enim, ait, admonendi sunt viri,
 aliter femina, aliter iuuenes, aliter senes, aliter inopes, aliter
 locupletes, aliter lati, aliter tristes, & in hunc modum subij-
 cit ceteros, & subdit; Sed quid utilitatis est quod cuncta hæc
 collecta enumeratione transcurrimus si non etiam admonitio-

Mendicorū.

Luc. 6.

Apoc. 18.

Luc. 19.

Ecc. 13.

Judith. 8.

Congregatio
Mendicorū.

Admonitio-
nes S. Geor-
gij.
In Past.

Abusus duodecim. nis modos per singulos, quanta possumus breuitate p̄damus. Harum autem admonitionum attenta lectio poterit non mediocriter Concionatoris prudentiam adiuuare. Ad eandem etiam rem videtur pertinere liber siue sit Cypriani, siue Augustini, siue alterius, qui est de duodecim sæculi abusus, qui sunt. Prædicator sine operibus bonis; senex sine religione; iuuenis sine obedientia; Diues sine Elemosyna; femina sine pudicitia; Dominus sine fortitudine; Christianus contentiosus; Pauper superbus; Rex sine Iustitia; Episcopus negligens, Plebs sine disciplina; Populus sine lege. Ex his suam prudentiam in loquendo, & industriam augere poterit Concionator.

In statibus quæ confideranda.

Hæc de statibus dicta sint in quibus Orator Christianus, vt aptè, & cum fructu loquatur, primò det operam vt cognoscat status ipsos, eorumque officia, & actiones proprias. Secundò vitia & peccata in quæ solent incurrere vt moneat corrigatque. Tertiò aduertat commoda vel incommoda, difficultates vel occasiones quæ insunt ad bene vel malè viuendum, vt remedia præbeat. Quartò quæ sit eorum necessitas, & vtilitas, & præstantia in Republica Christiana. Quintò quæ virtutes in singulis desiderentur & eas hortetur insequendas.

Inuehatur in omnia peccatorum genera, & abusus malos. Cap. XXIII.

Prudentia circa materiã. In via purgatiua.

Cum in secunda parte ad tres vias totam huius facultatis materiam reuocauerimus, nunc pauca in singulis adijcienda sunt, quæ ad prudentiam maximè faciunt. In via ergo purgatiua perpetuam cum vitijs pugnam ineundam sibi esse intelligat, omnesque belli machinas adhibendas, vt perditos homines, Deoque rebelles, & animæ suæ hostes à dæmonum tyrannide, & æternæ damnationis discrimine erutos sibi ipsis, ac Deo restituat. Intelligat inter præcipuas muneris sui partes hanc esse collocandam, vt omnia peccata acriter & seriò arguat, quod alibi à nobis est probatum. Nunc verò lubet aliquas peccatorum species enumerare, quæ vt frequentiores sunt, ita frequentius pro suggestu vrgebit. Non solum autem, arripere cum ea sese offert, occasionem oportebit, sed etiam ipse non oblatam captare, & inuenire studeat, cum enim ignis est accessus, & flamma diffunditur, an non vrget ipsa necessitas remedij adhibendi? & cum viget vis morbi, applicanda suo loco medicina, atque hoc docuit D. Paulus, cum monet instandum op-
portu-

portunè, & importunè . Huiusmodi peccata sunt Blasphemie
 in quas magno animi ardore inuehatur, vt è Christiana Repu-
 blica tam indignum scelus deturbetur, Maledicta; frequens iu-
 randi, atque adeo peierandi consuetudo, vt fecit de industria,
 B. Chrysoft. in plerisque homilijs, in quibus apparet quàm fe-
 rùs, & quàm efficaciter id sibi animo proposuerit, vt eã peni-
 tus è suo populo exterminaret; superstitiones, & maleficia,
 quæ mirum sit in tanto fidei Christianæ cultu reperiri, quasi ir-
 ruerent adhuc in animos tenebræ, & errores gentium; Collo-
 quia vana in templis, & irreuerentia, quam arreptis manu fla-
 gellis vel Christus ipse coarguit; opera carnis, in quibus vti-
 lites in cæno, tam miserè voluntur tam multi; falsa testimo-
 nia, iniustæ, ac diurnæ lites; fraudes mercatorum, & artifi-
 cum; Odiæ, & inimicitia, turbulentissimi malorum omnium,
 fontes, detractiones, infamia, in quibus multi grauiter delin-
 quant; iudicia temeraria, cogitationes turpes, & morosæ, ef-
 frenata sensuum libertas, oculorum, aurium, tam frequentes
 quam perniciosi linguæ fœtus; otiosa vita præsertim iuuenum,
 id est sentina malorum, peruersa liberorum educatio; crapu-
 læ, & ebrietates, amores lasciu, familiaritates noxæ, quæ im-
 prouidam præsertim adolescentiam pessundant, ac perdunt;
 Mendacia, Vota non seruata, Inobedientia filiorum, parentum
 incuria in educatione liberorum; Verba lasciu, Mercedes non
 solutæ, atque alia id genus multa, in quibus innumera homi-
 num multitudo miserè prostrata iacet, iam iam in Tartara
 ruitura. Quamobrem locos topicos, & communes tempestiue
 in vsum congeffisse oporteret, vt pro re nata Concionatori in
 promptu sint scripturæ, exempla, testimonia, remedia, quibus
 ægrorum saluti opportunè subueniat, ne iam quo die se ad di-
 cendum parat, tunc supellectilem comparèt; sed aliorum com-
 modo paratam producat, nec tunc autoritatum aciem, ac rati-
 onum struat, sed in ipsa vitiorum monstra iam satis bene in-
 structam educat. Inuehatur in deprauatas aleatorum consue-
 tudines quæ inter ludendum, cum vitijs omnibus imbibuntur,
 Infectetur Comedias lasciuas, cuiusmodi pleræque sunt quæ
 nostris temporibus aguntur; Prudentiæ tamen sit memor, nec
 publicè Principem, qui eas permittit accuset. Id vnum satis
 est si pericula aperiat; Reprehendat hominum inanes ornatus,
 mulierum fucos, & luxum in vestibus, conuiujs, domibus, si-
 tim, & cupiditatem pecuniarum, ob quam plerique contra-
 ctus vsurarij, & iniusti fiunt, lasciuas, siue mulierum, siue pue-
 rorum,

Peccata quæ
 maximè ar-
 guenda .

Abusus in
 quos inuehi
 debet.

rorum, & virorum imagines. Prophanos libros eorumque lectionem, cantilenas parum pudicas. In his verò inculcandis, vulgari quadam, communique doctrina contentus minimè sit, est enim minus efficax, nec concionem mouet, sed singillatim ad ipsa crimina descendat; fœditatem, ac damna ante oculos ponens, quanquam in rebus obscœnis singulares actus describere, ne obiurgando quidem est tutum, ne deprauatæ aures his abutantur, & castæ offendantur. Neque solum acriter incessenda vitia, sed etiam respondendum est varijs hominum excusationibus, quibus ipsi suas conscientias fallunt. Aperiat itaque callidus Doctor fallacias, amoliatur impedimenta, adhibeat remedia, quæ necessaria, & vtilia iudicauerit.

Occasiones peccatorum doceat fugiendas.
Cap. XXIV.

Nequè solum peccata, sed occasiones quoque peccatorum infectetur, siquidem occasionis hoc proprium est, vt matris instar peccatum generet, deinde quasi nutrix in sinu foueat, simul ac lactet. Contra huiusmodi occasiones paratos habeat locos vnde argumenta eliciat, ad earum fugam persuadendam. Subijciam paucos de multis, vt inde ad similia inuenienda aditus cuique aperiatur. Primò proponendæ sunt sententiæ ex sacris literis, ex quibus appareat quanta sit in occasione vis ad ruinam, Nam qui amat periculum peribit in illo; & qui fodit foueam (hæc est occasio parata) incidet in eam, & qui dissipat sepem, mordebit eum coluber, solent enim inter spineta, ac vepres latitare serpentes. In medio mulierum noli commorari; de vestimentis enim procedit tinea, & à muliere iniquitas viri; Ne delecteris in femitis impiorum, nec tibi placeat malorum via, fuge ab ea, nec transeas per illam, declina, & defere eam. Ob id præcepit Deus, vt intrantes terram promissionis disperderent omnes inhabitatores terræ confringerent titulos, ac statuas comminuerent, vt hoc pacto scelerum occasionem remouerent subdit si non abstuleritis, erunt vobis clauis in oculis, & lanceæ in lateribus. Rursus Nazareis, qui lege iubebantur abstinere à vino, simul ad tollendam occasionem interdixit ne vvas comederent, neque recentes, neque passas, neque delibarent acetum, neque ipsum vux acinum gustarent, Præcepit vt ne, cum Idolum argenteum comminuerent, ex illo argento vas vllum efficerent, quo

Loci argumentorum contra occasiones.

Scripturæ auctoritas.

Eccl. 3.

Eccl. 10.

Eccl. 42.

Prou. 4.

Num. 33.

Num. 6.

quo nulla Idoli memoria, quæ nouæ superstitionis causa foret, apud ipsos, aut posteros remaneret. Christus in Euangelio, cum ait, si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & proijce abs te; si pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & proijce abs te, de occasionibus loquitur omnino vitandis; & Paul. ab omni specie mala abstinete vos. Secundo authoritate Patrum, vitandum est. Vide multa apud Chrysof. vbi inter cætera eos qui occasiones, & pericula non fugiunt, belluis dementiores esse docet, Auicula nanque (vt ait) semel capta laqueo, mox elapsa, & ceruus in rete decedens, & effugiens, iisdem iterum difficile capiuntur; nam cuique fit experientia cautelæ magistra; Nos sæpe iisdem capti in eadem cadimus; sæpius quippè mulierem conspicati, grauiam passi sumus, & tamen eodem vix curato vulnere, rursus in eadem labimur.] Hieron. de Vitando susp. contubernio, Quis iuxta viperam securus somnos capit? quæ etsi non percutiat certè sollicitat. Item quid tibi necesse est in ea versari domo, in qua necesse habes quotidie, aut perire, aut vincere? Nunquam securus cum thesauro latro tenetur, nec inter vnã cauernam habitans cum lupo tuus est agnus. Alligabit quis in sinu suo ignem, & vestimenta eius non comburentur? ambulabit super carbones, & pedes illius non ardebunt? Vide Basil. eadem fere dicentem. Tertio loco iuuabit rationem afferre, qua quisque optimè intelligat pari diligentia cauendum sibi esse & peccatum, & peccati occasionem; cum enim hominis natura post miseram primi parentis ruinam iam collapsa, & corrupta, & sensus nostri ab ipsa adolescentia, in malum proni sint, si obijciatur occasio, quæ ad flagitia impellat, ac vehementer moueat appetitum, & somitem deprauatum, quis dubitet præsentem obiecto affici turbarique hominem? ac tanto maiori ad ipsum impetu ferri, quanto vehentior se occasio obijciat? perinde enim tunc temporis accidit, ac si quempiam ex graui morbo debilitatum, in decliui, ac lubrico loco ambulantem tu brachio impellas, quam enim facile ruet in præceps? quid si quis ex cera compactum habens corpus, proximè ad ignem accederet, contenderet tamen seriò cum adstantibus, fore vt nulla ratione liqueberet, non ne stultissimam eius contentionem vel ipse probaret euentus? Quæcunque extrinsecus obijciuntur, mouent oculos, aures aliosq; sensus exteriores. hinc ad interiores transmittunt rerum ipsarum similitudines quibus amor, cupiditas, odium

Matib. 5.

1. Theff. 5.

Periculum in occasione.

Hom. 15.

ad pop.

Amb.

Epist. 47.

In reg.

bren.

Ratio cõtra

occasionem

mali.

odium ceterique animi affectus inflammantur, qui rursus ipsius animæ facultates, & voluntates ipsas accendunt, atque in deteriorem partem inclinant; sicut enim intra filicis venas latet ignis, qui ferro percussus elicitur, ita peccatorum semina, & cupiditatum quasi flammæ in membris, ac sensibus nostris delitescunt, quæ oblati postmodum occasionibus excitantur. His adde quod Dæmon huiusce rei minimè ignarus, & naturæ nostræ propensionis satis conscius, varia nobis objecta ante oculos ponit, quæ versutus ludificator varijs artibus non explicat modo, sed colorat, exornatque vt pulchriora, quam reuera sunt, appareant, eoque facilius alliciant, & ad mala vehementius impellant, sic crediderim Euxæ lōgè pulchrius, ac dulcius depinxisse vetitum pomum, vt dum oculis videret speciem, quasi dulcedinem palato perciperet, Et Dauidi Bersabeam longè venustiore, vt rectè a S. Iob. dictum sit; halitus eius prunas ardere facit, & flamma de ore eius egreditur, & à Propheta, Ecce ego creavi fabrum sufflantem in igne prunas. Quartò eorum proderit exempla proponere, qui nimium sibi arrogantes, in foueam peccatorum misere deciderunt, cum ausi sunt ad eius crepidinem propius accedere. Huc pertinet exemplum Dauidis, qui non auertit oculos à muliere; Sampsonis qui Dalidæ contubernium non fugit; Salomonis, qui consuetudinem cum alienigenis mulieribus non abhorruit. Dinæ quæ cum curiosus vagaretur, pudicitia notam inuisit. Alipium amicum suum, scribit Augustinus, Cum ludorum circensium spectacula detestans, multa vi precum à familiaribus ad ea prope cogere, ita accessisse, vt animum prius obfirmaret, oculis ibi semper clausis persistere, cum tamen ad repetitum fortè populi clamorè aperuisset, statim eorum ludorum illecebris irretitū; periculosum est periculo se obijcere. Quid plura inquit Augustinus, vidit, exarsit, clamauit, abstulit secum insaniam, non solum vt cum illis rediret, sed & alios præ illis traheret. Exemplum Iacobi Eremitæ quod plurimum mouere potest, Vide apud Surium mense Ianuario. Cauendum hic tamen ne multa eorum exempla in concione coaceruentur, ne improbi inde minus graues suos lapsus interpretentur, quando tot talesque viri corruerint. Quinto etiam in medium producantur ij, qui quanti referat malorum occasiones subterfugere suo exemplo nos docuerūt, quod tutius, & efficacius erit, quàm in exemplis contrarijs enume-

Iob. 41.

Ips. 54.

Exempla.

Lib. 6. Con
fes. c. 8.

enumerandis immorari . . . Hieronymus docet, Ioannem Bapti-
stam licet in ipso matris utero singulari donatum sanctitate,
licet sanctissimis ortum parentibus, tamen ad euitanda quæ-
cumque pericula adhuc puerum in Eremum secessisse. Augusti-
nus sororum etiam suarum contubernia vitabat, non ob ipsas,
sed earum causa, quæ ad ipsas ventitarent. D. Franciscus qui
ob magnum illud diuini amoris incendium Seraphici nomen
obtinet, si quando mulieres admitteret; ad colloquium, illis
ut author est Bonauenti. non nisi directis in terram oculis au-
res dabat, ita ut nullam de facie nosceret vsque adeo sibi diffi-
sus est, vir ille sanctissimus, ac penè diuinus.

Hier. To. 9
in Reg. mo
nast. tit. de
Castitate.

Contra eos qui in peccati consuetudine viuunt.
Cap. XXV.

Aliquot sunt hominum genera, quæ conscientia grauius
lata, & peccati pondere pressa nisi acriori spiritu concio-
natoris agitentur, non facile Dei verbo cedunt, huiusmodi sunt
qui peccati alicuius venenum longa consuetudine suxerunt,
quique penitentiam in aliud tempus, vel in ipsam effatam,
etatem, ac decrepitam differunt; & qui vel ad cordis duritiam
peruenerunt, vel omnem melioris vitæ spem abiecerunt. Om-
nium horum; & si qui sunt præterea similibus. morbis oppressi
non est Concionatori desperanda salus, sed eo diligentius con-
quirendis remedijs insistendum, quo difficilior miserorum cura
est, propiusque discrimen. Basil. hanc assignat regulam
non esse vnquam horum desperandam salutem concionatori-
bus, quod (inquit) omnia illa officia præstiterimus, quæ ad il-
lorum correctionem pertineant, quæ im benè confirmat per illud
testimonium Isa. 42. citatum à D. Matth. c. 12. arundinem quas-
satam non confringet, & linum fumigans non extinguet donec
eiciat ad victoriam iudicium, & per illud; seruum Dei oportet
patientem esse, cum modestia corripientem eos, qui resis-
tunt veritati; ne quando Deus det illis penitentiam ad co-
gnoscendam veritatem, & respiciant à Diaboli laqueis à quo
captiui tenentur ad ipsius voluntatem. Aliquos hic ego locos
ad hoc ipsum præstandum aperiã, ac primo loco agendum
erit non semel contra eos, qui quotidiana peccandi consuetu-
dine inueterauerunt, quales sunt, qui vsuras frequentant, pel-
licatum exercent, blasphemias passim in ore habent, in quos
videtur cum magno spiritu initio statim inuehi Euangelicus

In suis Mo-
ralibus re-
glu. 70. c. 32

2. Tim. 2.

Isa. 1.
ille

ille Propheta, cum ait; Væ genti peccatrici populo graui iniquitate, filijs sceleratis. Duo hic mihi admonenda occurrunt. Primum vtile esse vt populo aliquando significet eam doctrinam, quam sancti Patres, ac Theologi habent de gradibus peccatorum, quam ego breuiter ita perstringo. In ipso peccati ingressu tres illius gradus agnoscunt, nempe suggestionem, delectationem, atque consensum, qui optimè significati videntur in prima nostrorum parentum culpa, per serpentem suggerentem vetiti fructus comestionem; Euamq; illo se oblectantem, dum vidit bonum ad vescendum, & Adamum persuasioni Vxoris consensum præbentem, ac denique comedentem.

Iac. 1.

Hæc videtur esse sententia B. Iacobi Apostoli, cum ait, Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus, deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum, peccatum autem, cum consummatum fuerit, generat mortem.

Delectatio & consensus.

Crediderim debere aliquando Concionatorem explicare naturam humanorum actuum, quorum cognitio non modo perutilis, sed necessaria vel infimæ plebi est, vt nimirum intelligat in solo consensu, siue in opus, siue in delectationem, posse peccatum esse mortale, & distinguere, quando ipsa delectatio peccatum sit, aut mortale, aut veniale, & ad tollendos à timidis scrupulos, nihil in sola suggestionem subesse culpæ, nihil in primis corporis, siue animi motibus.

In cap. 4. Ezech. circa finem.

Hos primos gradus tres alij sequuntur, quos Hieron. vocat delicta generalia, cordis videlicet, oris, & operum. His adduntur, & alij, si progressus fiat in peccatum; nam sæpè euenit alia quædam delectatio prior in commisso peccato, quæ iudicium tollit ex animo, diiudicandi peccati grauitatem, ita vt non modo non graue appareat, sed præferat etiam faciem culpæ leuioris, atque adeo dulcioris. Porrò hanc delectationem sequitur, & alius gradus, cum in occulto patrata crimina iam palam audet, neque amplius peccatorem pudet, neque excusare se ipsum, neque obtexere culpam, quin potius adeò cum malitia crescit impudentia, vt etiam, quod est pessimum de suo malo gloriari; tum verò peccandi consuetudine roboratur, vitiositas, & vsus quodammodo vertitur in naturam, vt verissimum sit, quod dicitur; Si potest Æthiops mutare pellem, aut Pardus varietatem. His omnibus addi potest alius, quem dixerim desperationis gradum secundum illud Pauli; qui desperantes (vel vt

Hier. 13.

Eph. 4.

Hier. Com. in 18. prou. initio. quem gradum meritò Hieron. & Augst. vocant contemptum.

ptum Dei ex illo Prouerb. Impius cum in profundum venerit, *Prou. 18.*
contemnit, denique eo vitiositatis peruenit, vt non vereatur impius, & verbo, & exemplo, aliorum hominum ruinam curare; istud est sedere in cathedra pestilentiae, vel vt Hieron. vertit irrisorum. Hæc est diabolica plane catena, tartareis inserta anulis, quos dissoluere quam sit difficile, nemo non videt. Sed magna est diuinæ facundiae, magna diuinæ gratiæ efficacitas; ne quidquam tam perditum, atque nefarium est, cui mederi ipsa non possit. Hæc aliquando significare ad timorem & singulos gradus singillatim explicare vtile arbitror ad propellendos saltem grauiores peccati gradus ab homine, qui sæpè adhortandus est, vt cum primum in aliquod peccatum se cecidisse aduertit, festinet ad medicinam, dicatq; cum Dauide, Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum, neq; *Psal. 68.*
urgat super me puteus os suum. Ostendendum est, quàm periculofus eorum status sit, ac timendus, in quorum animis, repetitis sæpè malis actibus gignitur deprauata consuetudo peccandi. Hos Senec. cum ijs confert qui profundo somno tenentur & dormiunt, vt dici solet in vtramq; aurem; hic enim somnus, etiã somnia extinguit; quin imò nec sui ipsorum recordantur, quod ipsum in corporis morbis vsu venit; Qui laborat (inquit Hippocrates) aliquo apostemate, antè quàm marcescat, acuto eius dolore cruciatur, cum verò extrema tabe iam emarcuit non sentitur dolor, cum tamen malum sit in summa pernicie; ipsam febrem sæpè cum minus sentit agrotus, grauiorè Medicus iudicat. Probatum mihi quod habet Orig. in illa verba *Psal. Iustus si ceciderit non collidetur, vbi discrimè ponit inter varios peccatores, nam iustus si cadat aliquando, mox surgit, vt Petrus, qui statim egressus amarè fleuit, at qui peccatis callum obducunt, obstupescunt paulatim minusq; in dies sentiunt parata sibi gehennæ supplicia, & præsentia peccatorum damna. Postremò iura, leges sacramenta, religionem, & (quod nefas est dicere) Deum ipsum per summam impietatem contemnunt. Quibus sanè obijciendum illud est, quod cuiusdam ex illis dictum est. Inuenteratè dierum malorum, nunc venerunt peccata tua.* *Dan. 13.*

Psal. 68.

Consuetudo peccandi qualis sit.

Ep. 54.

Hipp. in Aphor.

In Psalm.

36. Ho. 4.

Matth. 26

Dan. 13.

Contra eos qui Pœnitentiam, & Conuersionem procrastinant.
Cap. XXVI.

Secundo loco inferenda est pugna contra eos, qui pœnitentiam, conuersionem, recteq; viuendi rationem prorogant in fu-

in futurum tempus vel ad senectam, vel etiam illud tēpus quo extremam agunt animam, inani quadam delusi fiducia, qua sibi diuinæ miserationis auxilium, aut longam ætatem pollicentur.

Ho. 13. ex varijs ser. 58. de tēp. Epist. ad Theo. Mo. lapsū ser. 38. ex paruis. Contra hos arma, & Commeatum accipies à Basil. ab August. à Chrysost. à Bernar. in illud: Ecce reliquimus omnia, & nominatim contra hos hæc faciunt. Primo quidem est planè inconsiderati animi argumentum, tempus, cum nihil incertius eo sit, nihilq; mortis articulo incerto certius, affuturum sibi tam certo promittere, præsertim tanta in re, quantum est æternitatis negotium. Qui pœnitenti inquit Greg. Veniam spondit, peccati diem crastinum non promisit, propterea clamat & Christus, *Matth. 19* Vigilate quia nescitis diem, neque horam. Secundo quoniam prudentiæ leges docent, vt persuadeat sibi quisque, facilius virtutibus vacaturum eum, qui adolescentiam in vitijs transegerit cum certum illud sit, tanto maiorem fore in bonè viuendo difficultatem, quanto fortius vitiorum habitus & consuetudo inuenerit? Tertio quis non illius accuset impudentiam, qui donorum caelestium possessionem respicit, quam facile florenti ætate parare potest, qui in luxu, & voluptate robustiores annos exigit & honestè viuendi onus graue satis, ac molestum, in senectam viribus destitutam conijciat? Qui sibi suaq; libidini, ac tenebrarum Principi, quod est in vita præciosius consecrat, quod uilius & incertum Deo? & vitam tamen, & sanguinem pro nobis Christus Dominus effudit, & quidè in flore ætatis, & maximum bonorum cumulum per omnem æternitatem pollicetur in Cælo; Meritò per Malach. conqueritur Deus. Maledictus homo, qui habens in grege suo masculù, & votum faciens, immolat debile Domino, quia magnus ego ait Dominus exercituum. Quarto amens planè, & insanus à sano, & prudenti viro habetur is, qui id omni studio facere contendat, cuius se credat aliquando pœnitentia ductum iri, quanta ergo erit insipientia, aliquid facere ea mente, vt postea pœnitentia facti ducatur, & tamen talis est, qui pœnitentiã dilatat, & peccatis est deditus. Ait enim, hæc faciam in præsentia, erit aliquando tempus cum me pœnituerit. Quinto vrgeat Concionator eorum exēpla, qui tandè aliquando insaniam ipsi suam agnouerunt, & quidè non nisi singulari præpotētis Dei priuilegio, quod sibi certò polliceri peccando quis audeat? Aug. vehemēter dolet, quod vocanti Deo non statim respōderit, sed dixerit modo, & ecce modo, sine paululù, sed modo & modo non habebat modù, & sine paululù, ibat in longù. Et alibi deflet præteriti tēporis iacturã, cū ait; serò te amari pulchritudo

Exemplū Augustini Lib. 8. confess. c. 11. Lib. 10. Cōfess. c. 17.

chritudo tam antiqua, pulchritudo tam noua serò te cognoui; tu intus eras, & ego foris te quærebam, & in ista formosa, deformis iruebam.] Qui verò in extremum vitæ tempus conuersione differunt, longè stultiores sunt; licet enim vera pœnitentia, quacumque hora efficax sit ad peccati remissionem, vt docent Leo Papa, & habetur 26. quæst. 6. & Cyprian. Vbi non est, inquit, seruum quod est verum, nec irremissibile quod voluntarium, & quæcumque necessitas cogat ad pœnitentiam, nec quantitas criminis, nec breuitas temporis, nec horæ extremas, nec vitæ enormitas, si vera contritio, si pura fuerit voluptatum mutatio.] Hæc inquam vt vera sint, certa tamen est sanctorum Patrum doctrina, periculosissimam illam esse pœnitentiam, & rarò veram. Quis enim non meritò de eo dubitet, de quo Augustinus inquit, Si tunc vis agere pœnitentiam quando iam peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa, & qui prius à peccatis relinquitur, quam ipse relinquat; ea non liberè, sed ex necessitate relinquit.] Periculosissima est, ait Euseb. Emissen. in vltimam diem promissa securitas, deinde stultissimum est, vt causa quæ de necessitatibus agitur æternitatis, mutabilibus vitæ deficientis committatur extremis.]

Præter Patrum auctoritatem, afferendæ sunt rationes, quarum summa hæc esse potest. Difficile esse eo tempore contritionis actum elicere verè voluntarium, cum potius coacta videatur conuersio, & voluntas impediatur mortis impendētis metu, qui ita perturbare solet rectam animi rationem, vt actionum libertatem imminuat; & quærit tamen (inquit August.) libertatem Deus non necessitatem. Huius generis fuit Semei pœnitentia, Pharaonis, qui cum medijs in fluctibus periclitaretur, exclamauit, Fugiamus Israelem, Dominus enim pugnat pro eis. Antiochi, qui sub vitæ finem, orabat sceleris Dominum, à quo non erat misericordiam consecuturus. Scultarum denique Virginum, quibus clausa est ianua. Porrò multa sunt sub extremam vitæ horam, quæ animum distrahant, perturbant, excruciant. Nec quisquam habet potestatem in die mortis, vt dicitur in Eccles. Sapè verò Deus pro malis meritis peccatoris permittit, vt sui etiam obliuiscatur in morte, qui in omni vita oblitus erat Dei; Dæmon acrius tentationibus vrget, quia modicum tempus habet, ne eius dominio spoliatur, quem seruum in vita fidelem expertus est, ac pluribus annis obsequentem. Inueterata quoque consuetudo

T t

Quam stultū in extremum vitæ pœnitentiā differre. Serm. de Cæna Dñi ad fin.

Lib. de vera, & falsa Pœnit. c. 17. to. 4. Hom. de bono Latr.

Loco cit. 3. Reg. 2. Exod. 14. 2. Mach. 9. Matt. 25. Eccles. 8.

Iob 20.

tudo malorum tunc vim habet maximam, neque vult auctorem deferere, vt eueniat illi quod scribitur, Ossa eius plena sunt vitij adolescentiæ, & cum eo in puluere dormient. Quarta denique insania est, quam deploranda stultitia cum finis viuendi prope est, tunc velle principium facere bene viuendi, primam ætatem ac mediam dicare Dæmoni, extremum verò spiritum in summa virium animæ, & corporis imbecillitate offerre Deo?

Contra eos qui in peccatis obdurato corde perstunt.

Cap. XXVII.

Acrius adhuc insurgendum, & insudandum erit in eos, qui obdurato corde, & obfirmato animo in peccatis viuunt, si quomodo durities perrumpi, & expugnari possit, quam sua tyrannide Dæmon inuasit. His autem primò explicandæ eorum conditiones erunt, qui eo iam deuenerunt, vt cor durum habeant, vt tamquam in speculo sui status infelicitatem intuentes, eius aspectus turpitudinem exhorrescant. Egregiè verò præ cæteris quid durities cordis sit, explicat D. Bernardus his verbis statim initio. Quæris quid sit cor durum? Si non expauiisti tuum hoc est, solum enim est cor durum, quod semetipsum non exhorret, quia non sentit, ipsum est quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec mouetur precibus, minis non cedit, flagellis duratur, ingratum ad beneficia, ad consilia infidum, ad iudicia sæuum, inuerecundum ad turpia, impauidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad diuina, præteritorum obliuiscens, præsentia negligens, futura non prouidens, & vt breui, cuncta horribilis mali mala complectar, ipsum est quod nec Deum timet, nec hominem reueretur. Quæ sanè dicta si practicè à Concionatore, & allatis exemplis, ac similitudinibus illustrentur, habent magnam vim, vel vt obduratos aliquantulum emolliant, vel vt alij, ne in tantam calamitatem incurrant, timorem injiciant. Secundò, explicandum est Deum neminem per se indurare, vel excacare actu postiuo directè, vt Theologi loquuntur, cum non possit esse vllius peccati causa, vt eruditè disputat D. Basil. in hom. Quod Deus non sit causa malorum, imò verò semper se cum peccatore gerit parentis instar, aut Medici qui ægrotos, & si grauissimò & insanabili affectos morbo, aut ipsam agentes animam,

Lib. 1. de

Confid. ad

Eugen.

Cor durum

quid sit ex

Bernard.

Deus nemine

per se indu-

rat.

nunquam ita deserit, vt nullam planè opem ferat. Ita se,
 cum Pharaone gessit, ac Iuda, & tamen ob malitiam hominum
 aliquando indurare dicitur, & excacare, quod ipsum quo-
 modo intelligi debeat non est cur à me pluribus explanetur;
 abundè satis ac dilucidè, dicitur à Francisco Toletò in Ioan.
 Certum quidem est, hanc esse peccatorum poenam grauissi-
 mam, ac præ cæteris in hac vita extimescendam. Causas au-
 tem indurationis attingit D. Antoninus. Tertiò, adhibeat
 Concionator remedia, neque de eorum conuersione despe-
 ret, nobis enim liquido constare non potest, qui sint prædesti-
 nati, qui verò reprobì, & aliquos scimus tandem aliquando
 ab obstinatione respuisse, & ostendit Augustinus duorum Re-
 gum exemplo, Pharaonis, qui duritiam suam misera morte
 redemit, & Nabuchodonosor, qui post flagella ad cor redijt,
 Deumq; agnouit. Possunt autem medicamenta huic morbo
 applicari quædam diuina ex Scripturis deprompta, vt pec-
 cati grauitas, vis, & efficacia gratiæ, libertas arbitrij, quæ
 innixa gratiæ, potest Deo mouente liberè deflecti, & obse-
 qui. Dei infinita benignitas, neminem excludens à cæle-
 stium donorum thesauris, & gratiæ: quatuor nouissima,
 opportuna suasio, ad exhibenda miserationis officia, ad ero-
 gandas pauperibus elemosynas, ad priuata cum sanctis,
 & pijs viris colloquia, & ad pias, frequentesq; ad Deum
 preces. Quædam autem humana sunt adiumenta, quorum
 usus non prorsus inutilis; præsertim quod id genus homi-
 nes ea sint indole, & ingenio, vt ad diuini lucis aspe-
 ctum perstringatur eorum mentis acies, nisi prius, vt qui è
 somno surgunt in tenuiorem lucem intendant. Lege Chry-
 sostom. vbi docet egregiè quomodo sit humanis hisce reme-
 dijs vtendum ad illius hominis conuersionem, qui in amo-
 re pecuniarum, & avaritia obdurnit. Docet enim aliquan-
 do debere nos imitari artis medicæ peritos, qui in agrotorù
 curatione extenuant morbi grauitatem, & arte quadam
 agrotorum fallunt. Humana remedia sunt, si quis ponat ob-
 oculos turpissimæ vitæ statum, in quo perfricta frontis homi-
 nes vitam agunt, non sine maxima vel fortunatarum, vel vale-
 tudinis, vel famæ, honoris, ac vitæ suæ discrimine siue iactura.
 Altorum narranda exempla, quibus hic viuendi modus
 malè cessit, vt sibi alieno incommodo timere discant. In me-
 dium etiam, vel ipso auctore Chrystostomo, proferendæ Philo-
 sophorum rationes, quibus recta viuendi ratio suadetur. Im-

cap. 12. an-
not. 24.

2. par. tit
8. & 9.

Lib de Pre
desim. &
Gratia. c.
15.

Remedia su-
pernaturalia
contra duri-
tiam.

Adiumenta
humana ad
idem.

Hom. 11. in
1. ad Cor.
c. 4.

probatu effrenata cupiditas, & voluptas. Neque verò ab his multa simul exigas, nisi velis omnia amittere, vt enim Proverbium vulgatum est, Canis duos sequens lepores, neutrum capit. Ergo in diem, vel in mensem singula reposcito, ita fiet, vt quod ait ille, Vndique collectis flumen abundet aquis; Ita qui plures domi pellices alebat, non simul, sed singillatim. Beati Xaverij Patris nostri suasu dimisit omnes. Proponamus miserias, & mala innumera quæ hos consequi solent etiam in præfenti vita. His eos sermonibus ait idem Chrysostom. placemus nondum de gehenna mentione facta. Adit, cum his sermonibus coercitos viderimus, tunc iam gehennæ meminisse poterimus, non tam vt terreamus homines, quam vt misereamur magis. Hæc autem in priuatis colloquijs aliquando melius perficiuntur. Quare operæpretium est Concionatorem sæpè id genus homines aduocare ad sese, vt ad melioris vitæ frugem reuocet, atque ad ipsum Deum. Ex priuatis etiam non raro vberiores, quam ex publicis sermonibus fructus feret. Quarto etiam sancti viri præfidiæ quædam extraordinaria adhibuerunt ad hominum emendationem, quæ omittenda non sunt; imò verò imitanda eis, qui lucrandarum animarum studio, non suis commodis concionandi munus exercent. Impetrarunt aliqui salutem animarum, multis ad Deum precibus eiulatu ac lacrymis, fame, siti, alijsq; susceptis sponte supplicijs. Exemplo sunt S. Dominicus, Bernardus, Catherina Senensis, alijsq; quamplurimi. B. Augustinum redemptum legimus à Dæmone parentis Monicæ lacrymis. Ambrosium Episcopum Mediolanensem, tantas in ipsa Confessionum auditione, lacrymas effudit, & ipse l. 2. se legimus, vt sæpè numero confitentium pectora & animum emolliret. Multa in hunc locum ex domesticis conferre possem, sed vnum memorabo. Cum B. Pater noster Ignatius cognouisset aliquando impij cuiusdam Sacerdotis nequitiam eo animo exposuit ei in Confessione cum magno dolore, & multis lacrymis antea vitæ suæ culpas, vt ad melioris vitæ frugem illum adduceret, ac re ipsa adduxit. Quinto seruandus ordo quidam prudentiæ spiritualis in ferenda, siue priuatim, siue publicè tam perditis rebus ope. Huc spectat quod docet Clem. Alexan. vt simul metum, ac beneuolentiam coniungamus non immemores illius Psalmi, Misericordia, & veritas præcedent faciem tuam; qui enim semper beneuolus est, contemnitur, qui nimis seuerus, mentem exasperat,

*Tursell. in
eius vita
lib. 3. c. 3.*

*Paulin. in
eius vita,
& ipse l. 2.
de pen. c. 8.*

*lib. Pedag.
c. 9. & de
inceps.
Psal. 38.*

rat, quare nec remissè agendum, nec rigidè nimis. Et quidem metum duplicem possumus incutere vel pudoris, qualem habere filij in patrem solent, ac subditi in Principem, vel terroris, qui est feruorum proprius in dominos. Beneuolentiam verò exhibeamus, vt hominum animos ad honesta, & vtilia quæq; prouocemus, ad honesta quidem ducuntur animi laude ac vituperatione; ad vtilia hortando vel dehortando. Hanc autem methodum discamus ab ipso Deo in Scripturis facris, vt reuocet à peccatis homines modò conqueritur, increpat, minatur, castigat, exprobrat, maledicit; modò adhibet hortationes, consilia, exempla, promissa, consolationes. Lege libros veteris, ac noui Testamenti, vbi passim hæc inuenies, Lege etiam ipsum Clementem Alexandrinum.

Contra eos, qui de misericordia Dei vel præsumunt vel desperant. Cap. XXVIII.

ADhuc illi expugnandi sunt, qui de misericordia diuina desperantes, vel sibi nimium tribuentes, Dei bonitatem ac misericordiam in suam ipsi malitiam trahunt, & suauissimum diuinæ bonitatis mel, in venenum mortiferum conuertunt. De his Augustinus: Ex vtroque, ait, homines periclitantur, & sperando, & desperando contrarijs rebus, contrarijs affectionibus, sperando quis decipitur, qui dicit, bonus est Deus, misericors est Deus, faciam quod mihi placet, implebo desideria animæ meæ. Quare hoc? quia misericors est Deus, spe isti periclitantur; desperatione autem qui cum inciderint in grania peccata, statuentes ad damnationem sine dubio se destinatos, dicunt apud semetipsos iam damnati sumus. Doceat Concionator, quæ via sit inter extrema duo tuta, vt scilicet, neque ita iustitiam timeat peccator, vt nulla spei consolatione conualescat, neque ita confidat de misericordia, vt adhibere vulneribus dignam pœnitentiæ negligat medicinam; sed quem præsumit sibi piè parcere, semper etiam cogitet, & districtè iudicare. Desperatis proponat primo loco Scripturæ testimonia, quæ hoc hominum genus subleuant, quorum aliqua in 2. par. attulimus lib. 7. cap. 21. & 22. vbi locos assignauimus ad excitandam veniæ spem, qui contra desperantes valent, & tamen hic etiam nonnullos adhuc addere libet, cum sit argumentum vtile, & non semel tractandum. Primus sit Patrum auctoritas. Basil. in primis:

Tract. 33. in Ioan. in fine.

Contra desperantes argumenta.

In Regul. breuiorib.

Tt 3 Si pec- q. 13.

- Si peccata, ait, magnitudine, & numero possunt definiri, miserationes autem Dei, neque magnitudine, neque numero possunt circumscribi, sine dubio non est cur desperatio locum habeat.] Et Leonis Papæ: Misericordiæ Domini nec mensuras possumus, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniæ moras vera conuersio, dicente spiritu Dei per Prophetam: Cum conuersus ingemueris, tunc saluus eris, & iterum: Quia apud Dominum misericordia, & copiosa, apud eum redemptio.] Secundò, describat quanta sit vera pœnitentiæ vis, & efficacitas per quam omnia peccata, vel grauissima delet Deus; sunt enim omnia scelera, & peccata, tanquam aranæ tela valido vento exposita in patente loco, vt ait Chrysolto. præsertim si magna fuerit pœnitentiæ, qualem Mariæ Aegyptiacæ, aut Magdalenæ fuisse compertum est. Audi Hieronym. Quæ peccata fetus (inquit) iste non purget? quas inueteratas maculas lamenta, ista non abluant?] Quartò, Christi Domini passionem, desperatæ mentis oculis obijciat, vt Paulus facit: Recogitate eum, qui talem sustinuit aduersus semetipsum contradictionem, vt ne fatigemini animis vestris deficientes. Inducat desperantes, vt cum Bernardo dicant, Peccaui peccatum grande, turbatur conscientia, sed non perturbatur, quoniam vulnerum Domini recordabor; nempe vulneratus est propter iniquitates nostras. Quid tam ad mortem, quod non Christi morte saluetur?] Valet hic locus si bene quis tractatur, vel ab oculis desperatissimi cuiusq; peccatoris, veræ pœnitentiæ lacrymas elicere. Quintò, eorum proponantur exempla, qui ex huiusmodi morbo conualuerunt; erigit enim animos ad spem salutis, qui ex morbo, quo ipse laborat, videat aliquos in pristinam sanitatem restitutos. Si Petrus, inquit Bernar. post grauem lapsum ad tantam redijt eminentiam, sanctitatis, quis de cætero desperet, si tamen egredi voluerit à peccato? Id genus exemplis refertas habes, tum Scripturas sacras, tum illustrium virorum Commentarios. Eusebium consule, qui inter cætera desperatum quemdam (nescio an hominem, qui belluinis erat moribus appellem) ab Euangelista Ioanne reductum refert ad honestam vitam, cum sponsonem fecisset sese in extremo iudicij die Deo vadem pro illo sistendi. Lege Eftrem. Vbi ab Eremitâ, cui nomen Abramius neptem inuenies à flagitiosa vita reuocatam, quæ spem omnem salutis abiecerat, imò vt est apud Surium, die
- Epist. 91.*
- In Ps. 50.*
hom. 2.
- Epi. 30. ad*
Oceanum.
- In Epitap.*
Fabiola.
- Hebr. 12.*
- Ser. 61. in*
Cant.
- Lib. 7. c. 10*
- Tomo 3.*
- Tom. 2. 16.*
Martij.

dte eadem postea implorata à superis ope, alienæ salutis auctor fuit. Sextò, multum valebit propositum Beatissimæ Virginis patrocinium. Si criminum (inquit Bernardus) immanitate turbatus, conscientia fœditate confusus, iudicij horrore perterritus, barathro incipias absorberi, tristitia, desperationis abyssò, cogita Mariam, non recedat ab ore, non recedat à corde. J Septimò, præter Conciones publicas adhibenda priuata colloquia, & promittenda Dei misericordia, etiam se ipsum coram Deo sponso rem constituendo, ad imitationem sancti Ioannis, vt iam retuli. Possunt etiam legi quæ ad excitandum spei affectum in animis, suo loco diximus.

Hom. 2. s. per Missus est.

Similes locos oportebit etiam paratos habere in eos, qui nimium de diuina misericordia confidentes in peccatis perseverant. Ne dixeris peccaui, & quid mihi accidit triste, altissimus enim est patiens redditor. De propitiato peccato noli esse sine metu. Ne dicas, miseratio Domini magna est, misericordia enim, & ira ab illo cito proximant, & Paul. An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? His addenda Patrum testimonia, iustitiæ Dei magnitudo explicanda, exempla multorum afferenda, quos mala mors in peccatis abripuit. Ostendendum hoc vnum esse ex peccatis in Spiritum sanctum, quæ conuersioni viam obstruunt, cum huiusmodi homines sacrilegi, Dei bonitate, ac misericordia nequiter abutantur. Quandoquidem diuinæ misericordiæ titulus, qui eos ad pœnitentiam mouere debuit, ille idem eorum culpæ incitamentum efficitur, ad perseverandum in scelere, quod ipsum indignum reddit hominem misericordia, cum ea tam indignè abutatur. Vt autem habeat Orator Christianus occasionem contra ipsum peccatum sæpè pro ratione sui muneris exclamandi, subijciam hic aliquos communes locos, ex quibus materia, & argumenta desumi possunt, pro cuiusq; arbitrato.

Contra præsumentes de Dei bonitate. Eccl. 5. Rom. 2.

Loci communes ad excitandum odium contra peccatum, & primo ex malitia peccati in se. Cap. XXIIX.

Loci ad excitandum peccati odium ex triplici capite maxime eruuntur; ex ipsiusmet peccati in sese malitia, ac turpitudine; ex eo quod est contra Deum, & ex damnis quæ afferit. Hos ego locos non omnino ieiunos proponam, sed



addam capita, vnde aliqua amplificatio peti possit. Id enim & rei grauitas postulat, & gratum arbitror aliquibus futurum. Qui verò breuitatem amabunt, ijs licebit titulos tantum pro suo arbitratu percurrere. Ad primum caput pertinent hi loci. Primò peccatum est intrinsecè, & vt loquuntur

Exol. 33.
Mar. 10.

Theologi essentialiter malum, sicut Deus est summum bonum, & ipsa bonitas, vt ipse Mosi ait: Ego ostendam tibi omne bonum. Et Christus: Nemo bonus nisi solus Deus. Omnia verò creata à Deo tanquam radij solis aliquem gradum bonitatis participant, solum peccatum est, quod bonitati recta opponitur, vt tenebræ luci, ob id dicitur malitia.

Gen. 6.
Psal. 4.
Serm. 24.
in Cant.

Videns quod multa malitia hominum esset in terra, dicitur defectus; dicitur vanitas & mendacium. Vt quid diligitis vanitatem & queritis mendacium. Et à Bernar. dicitur animæ curuitas, sicut contra sanctitas morum vocatur reëctitudo. Vnde sequitur, peccatum non solum esse malum quia sit contra legem Dei, & quia prohibitum, vt sunt aliqua peccata, sed etiam sæpè intrinsecè tale esse; quæ est doctrina certa, & Catholica contra aliquos hæreticos, qui volunt nullum esse peccatum intrinsecè malum, sed solum quia prohibitum. Dantur quidem aliqua actiones malæ, quia prohibita, at multæ intrinsecè tales sunt, & quia tales ideò vicitæ. Secundò, turpitudine peccati inde colligitur, quod si ipse quidditas, vt vocant, queratur, apparebit ipsum planè esse nihil, esse priuationem, nec habere vllam naturam existentem, aut quippiam solidum, cum sit recessus à summo ente Deo. Potest afferri exemplum aeris, qui est tenebrosus per absentiam luminis. Augst. Malum, inquit, nihil est aliud quàm priuatio boni. Et alibi: Mala voluntas non habet causam efficientem, sed deficientem, quia voluntas humana, quæ sola potest in homine esse peccati causa, non nisi vt est defectiua peccatum parit, vt rectè explicat idem; sicuti motus tibie fractæ in claudicatione, non est à potentia motum efficiente, sed deficiente. Ansel. malum verè est nihil, & nihil non est aliquid, & fusè toto cap. 10. & 11. Vnde apparet quanta sit perversitas, vt homo faciat se peccati seruum, quod nihil est, Deoq; rebellans, tale in se regnum admittat. Propterea Paulus admonet, Non regnet peccatum in vestro mortali corpore.

Peccatū est nihil.

De fide ad Petrum.
12. de Ciu.
c. 7.

1. de liber. arb. c. ult.

Lib. de casu Diab. c. 11.

Rom. 6.

Peccatum est recessio à Deo.

Tertiò, peccare est recedere & separari à Deo, & priuare animam suam Deo, vt patet in parabola filij prodigi, qui

qui abiit in regionem longinquam, recedens à domo pater-
na, & per Isaiam Deus conqueritur: Peccata vestra diuise-
runt inter vos, & Deum vestrum, & indignitatem hanc gra-
uiter exprobrat. Quis est, inquit, hic liber repudij matris
vestræ, quo dimisi eam, aut quis est creditor meus, cui
vendidi vos? Ecce in iniquitatibus vestris venditi estis, & in
sceleribus vestris dimisi matrem vestram. Hoc autem quan-
tum malum sit, quis non videt? cum totum bonum hominis
ex fonte diuinæ bonitatis nascatur, cui fonti ut is, qui adhæ-
ret vnus cum Deo spiritus sit; ita qui renuntiat incidit in
cisternas dissipatas, & omnino perit; scriptum est enim,
Mihi autem adharere Deo bonum est, & qui elongant se à
te, peribunt.

Cap. 39.

Cap. 50.

Psal. 72.

Quartò, peccatum quod est malum culpæ maius est omni
malo pœnæ grauius, quàm summa paupertas, quàm graui-
simus morbus, quàm quodlibet dedecus, & infamia, quàm
iniurie, & vexationes quænis insectatorum, quàm mors ip-
sa, atque adeo infernus. Dionys. Puniri, ait, non est ma-
lum, sed fieri pœna dignum est malum. Hanc thesim aurea
eloquentia ut semper, tractat ac persuadet egregiè Diuus
Chrysostom. in oratione in qua demonstrat, neminem nisi à
seipso lædi. Quare etiam sapienter ac piè dictum est à Diuo
Anselmo, Si hinc peccati pudorem, & illinc gehennæ cerne-
rem horrorem, & necessariò vni eorum deberem immergi,
prius me in infernum immergerem, quàm peccatum in me
admitterem. Mallem enim purus à peccato, & innocens ge-
hennam intrare, quàm forde pollutus cælorum regna tene-
re. Hic debet esse fidelis planè ac generosus Christiani mi-
litis animus. Quintò, Spiritus sanctus in sacris literis ut
turpitudinem peccati, & faciem eius horrendam proponat
omnium oculis, solet sub vilissimarum rerum symbolis ip-
sum describere, sicut etiam sancti Patres faciunt. Compa-
ratur enim peccatum in Scriptura propter multiplicem suam
freditatem ac pestem bestiarum multis generibus venenatis,
effertis, stolidis, monstruosis. Tamquam à facie colubri
fuge peccatum, dentes leonis dentes eius, interficientes ani-
mas hominum. Homo cum in honore esset non intellexit,
comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est
illis, & apud Hierem. Equi amatores, & emissarij facti sunt
vniuersisque ad vxorem proximi sui hinniebat. Et, Proge-
nies

Peccatū est
maius omni
malo pœnæ.

Loco citat.

Lib. de si-
militudini-
bus. c. 190.

Peccatū reo-
bus vilissimis
cōparatur.

Ecc. 27.

Psal. 48.

Cap. 5.

Luc. 3.

- nies viperarum, quis vobis ostendit fugere à ventura ira?
- Luc. 13.* Dicit vulpi illi, Carnes asinorum carnes eorum; erit cubile draconum, & pascua struthionum, & clamabit pilosus alter ad alterum. Aliquando simile dicitur morbis ac vulneribus: Omne caput languidum, & omne cor mœrens à planta pedis vsque ad verticem capitis non est in eo sanitas, vulnus & lior & plaga tumens non est circumligata, nec fora oleo, neque curata medicamine. Quasi romphæa bis acuta omnis iniquitas, plagæ illius non est sanitas. Alias comparatur maculis: Si laueris te nitro, tamen maculata es. Quasi pannus menstruata. Alias putredini: Computruerunt iumenta in stercore suo: Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ. Nunc tempestati: Cor impij quasi mare feruens. Nunc oneri: Iniquitates supergressæ sunt caput meum sicut onus graue. Hic paupertati, & miseræ: Dicitis quia diues sum, & nescis quia miser es, & miserabilis, nudus, & pauper. Illic fellis, ac fœcibus: In felle amaritudinis video te esse. Vua eorum vua fellis, venenum, aspidum insanabile. Visitabo super viros defixos in facibus suis sæpè morti: Nomen habes quod viuas, sed mortuus es. Nonnumquam sepulchro ferenti: Similes estis sepulchris dealbatis. Denique tenebris: Paulus: Abijcimus opera tenebrarum, &c. Eratis aliquando tenebræ. Saluianus, peccatum ait esse simile sentinæ. Chrysostom. Cadaueri putrefacto, imò ibi ostendit animam peccato obnoxiam longè peiorem esse. Cyprianus: Hæc sunt, ait, peccata lapsis, quod grandio frugibus, quod turbidum syduus arboribus, quod armentis pestilens vastitas, quod nauigijs sæua tempestas.
- AEt. 8.* Alia huius generis multa ex Patribus colligere poterit sua industria diligens Concionator ad peccati detestacionem. Sextò, peccati malitia, & peruersitas huiusmodi est, vt si non auferatur ab anima hominis in multa alia peccata ex sua prauitate inducat, & sæpè etiam in desperationem, ac cordis duritiam. Hoc docent verba David: Fiant viæ illorum tenebræ, & lubricum, & Angelus Domini (scilicet malus) persequens eos. Satis erat ad ruinam in lubrico ambulare, quid ergo, & in lubrico, & in tenebris ambulantem ab hoste impelli? Et Paulus: Hoc igitur dico, & testificor in Domino, vt non ambuletis, sicut & gentes ambu-
- Luc. 13.* Dicit vulpi illi, Carnes asinorum carnes eorum; erit cubile draconum, & pascua struthionum, & clamabit pilosus alter ad alterum. Aliquando simile dicitur morbis ac vulneribus: Omne caput languidum, & omne cor mœrens à planta pedis vsque ad verticem capitis non est in eo sanitas, vulnus & lior & plaga tumens non est circumligata, nec fora oleo, neque curata medicamine. Quasi romphæa bis acuta omnis iniquitas, plagæ illius non est sanitas. Alias comparatur maculis: Si laueris te nitro, tamen maculata es. Quasi pannus menstruata. Alias putredini: Computruerunt iumenta in stercore suo: Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ. Nunc tempestati: Cor impij quasi mare feruens. Nunc oneri: Iniquitates supergressæ sunt caput meum sicut onus graue. Hic paupertati, & miseræ: Dicitis quia diues sum, & nescis quia miser es, & miserabilis, nudus, & pauper. Illic fellis, ac fœcibus: In felle amaritudinis video te esse. Vua eorum vua fellis, venenum, aspidum insanabile. Visitabo super viros defixos in facibus suis sæpè morti: Nomen habes quod viuas, sed mortuus es. Nonnumquam sepulchro ferenti: Similes estis sepulchris dealbatis. Denique tenebris: Paulus: Abijcimus opera tenebrarum, &c. Eratis aliquando tenebræ. Saluianus, peccatum ait esse simile sentinæ. Chrysostom. Cadaueri putrefacto, imò ibi ostendit animam peccato obnoxiam longè peiorem esse. Cyprianus: Hæc sunt, ait, peccata lapsis, quod grandio frugibus, quod turbidum syduus arboribus, quod armentis pestilens vastitas, quod nauigijs sæua tempestas.
- AEt. 8.* Alia huius generis multa ex Patribus colligere poterit sua industria diligens Concionator ad peccati detestacionem. Sextò, peccati malitia, & peruersitas huiusmodi est, vt si non auferatur ab anima hominis in multa alia peccata ex sua prauitate inducat, & sæpè etiam in desperationem, ac cordis duritiam. Hoc docent verba David: Fiant viæ illorum tenebræ, & lubricum, & Angelus Domini (scilicet malus) persequens eos. Satis erat ad ruinam in lubrico ambulare, quid ergo, & in lubrico, & in tenebris ambulantem ab hoste impelli? Et Paulus: Hoc igitur dico, & testificor in Domino, vt non ambuletis, sicut & gentes ambu-
- Luc. 13.* Dicit vulpi illi, Carnes asinorum carnes eorum; erit cubile draconum, & pascua struthionum, & clamabit pilosus alter ad alterum. Aliquando simile dicitur morbis ac vulneribus: Omne caput languidum, & omne cor mœrens à planta pedis vsque ad verticem capitis non est in eo sanitas, vulnus & lior & plaga tumens non est circumligata, nec fora oleo, neque curata medicamine. Quasi romphæa bis acuta omnis iniquitas, plagæ illius non est sanitas. Alias comparatur maculis: Si laueris te nitro, tamen maculata es. Quasi pannus menstruata. Alias putredini: Computruerunt iumenta in stercore suo: Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ. Nunc tempestati: Cor impij quasi mare feruens. Nunc oneri: Iniquitates supergressæ sunt caput meum sicut onus graue. Hic paupertati, & miseræ: Dicitis quia diues sum, & nescis quia miser es, & miserabilis, nudus, & pauper. Illic fellis, ac fœcibus: In felle amaritudinis video te esse. Vua eorum vua fellis, venenum, aspidum insanabile. Visitabo super viros defixos in facibus suis sæpè morti: Nomen habes quod viuas, sed mortuus es. Nonnumquam sepulchro ferenti: Similes estis sepulchris dealbatis. Denique tenebris: Paulus: Abijcimus opera tenebrarum, &c. Eratis aliquando tenebræ. Saluianus, peccatum ait esse simile sentinæ. Chrysostom. Cadaueri putrefacto, imò ibi ostendit animam peccato obnoxiam longè peiorem esse. Cyprianus: Hæc sunt, ait, peccata lapsis, quod grandio frugibus, quod turbidum syduus arboribus, quod armentis pestilens vastitas, quod nauigijs sæua tempestas.
- AEt. 8.* Alia huius generis multa ex Patribus colligere poterit sua industria diligens Concionator ad peccati detestacionem. Sextò, peccati malitia, & peruersitas huiusmodi est, vt si non auferatur ab anima hominis in multa alia peccata ex sua prauitate inducat, & sæpè etiam in desperationem, ac cordis duritiam. Hoc docent verba David: Fiant viæ illorum tenebræ, & lubricum, & Angelus Domini (scilicet malus) persequens eos. Satis erat ad ruinam in lubrico ambulare, quid ergo, & in lubrico, & in tenebris ambulantem ab hoste impelli? Et Paulus: Hoc igitur dico, & testificor in Domino, vt non ambuletis, sicut & gentes ambu-

Vnū peccatū
si non corri-
gatur, aliorū
est causa.

Psal. 34.

Ephef. 4.

ambulant in vanitate sensus tenebris obscuratum habentes intellectum, qui desperantes, seu indolentes (id est stupidi, & sine sensu doloris) semetipsos tradiderunt impudicitiae in omnem avaritiam. Egregie docet Gregor. quod Theologia tota amplectitur, aliquod esse peccatum, & causam peccati, & aliquod peccatum & poenam peccati, & aliud esse causam peccati, simul & poenam peccati. Lege exempla ex Scripturis ibidem. Causa autem huius malitiae in peccato est, quia peccatum vel aufert omnino, vel enervat omnia subsidia, quibus a Deo iunamur ad recte agendum, vt sunt gratia, & auxilia Dei, & virtutes, & sacramenta, & affert pessimam dispositionem, qua facile dilabimur ad omne genus mali, vt saepe in homine post longam peccandi consuetudinem, animus quasi desperet de seipso, & de diuina gratia, & contingat quod docent Isidor. & August. Namque ille, istis, inquit, quasi gradibus confurgit omne peccatum, cogitatio praua delectationem parit, delectatio consensum, consensus actionem, actio consuetudinem, consuetudo necessitatem. Hic vero suspirabam, ait, ligatus non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate, velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat. Quippe ex voluntate perueria facta est libido, & dum seruitur libidini facta est consuetudo, & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. Quae omnia ex ipso peccati habitu, & consuetudine, facile manant. Vide quae so peccati malitiam, & in quos scopolos ac fyrtes nauim animae adducat, imò compellat, & miserimè illidat.

Lib. 1. in Ezech. ho. 11.

2. de sum. bo. c. 23.

Lib. Conf. 8. c. 5.

Peccati qua ratione Deo opponitur.

Loci alij ex iniurijs, quibus peccator Deum offendit.

Cap. X X X.

SI verò consideretur peccatum vt fertur aduersus Deum, & vicissim odium Dei in ipsum, quod secundum caput supra posuimus, hi maximè loci existunt. Primum summa est indignitas, & intoleranda contumacia, creaturam suo Creatori opponere, & iniuriam inferre. Apparet autem hæc oppositio, quia cum Dei voluntas, sit rectissima omnium actionum regula, per quam totus mundus regitur, & maxime homo, qui per intellectum & voluntatem tenetur diuinæ voluntati per legem diuinam significatæ obedire. Peccatum est quod Deo, eiusq; voluntati, ac legi repugnat, atque ob id vocari

cari solet præuaticatio, inobedientia, rebellio. Vnde Ambr. Peccatum, ait, est præuaticatio diuinæ legis, & diuinorum in-
Lib. de Pa obedientia mandatorum, & August. Peccatum est dictum vel
radiso to. factum, vel concupitum contra æternam Dei legem. Quid au-
1. c. 8. tem iniquius esse potest, quam suam voluntatem diuinæ tam
Cont. Fau sanctæ opponere, nec velle imperio summi Principis, & Mo-
sti Man. l. 22. c. 27. narchæ subijci, cui cælum, cui mare, cui omnia quamuis sensu
 careant parent? Rursum cum Deus sit finis omnium rerum,
 & peculiari quadam ratione hominis per intellectum cognos-
 centem, & voluntatem amantem, tum in hac vita, vt egregie

Eccles. 17. dicitur apud Ecclesiasticum: Deus creauit de terra hominem, &
 secundum imaginem suam fecit illum, & subdit de viro, & mu-
 liere, Creauit illis scientiam spiritus, sensu impleuit cor illo-
 rum, vt nomen sanctificationis collaudent, vt magnalia enar-
 rent operum eius, tum in futura per claram ipsius Dei visio-
 nem, ac beatam fruitionem, ad quam per auxilia supernatura-
 lia perueniat; peccatum tamen est, quod hominem à suo fine,
 vero distrahit, & auertit, vt eo contempto vilissimis creaturis
 adhæreat, vt non sit aliud peccatum, quam auersio indebita ab
 incommutabili bono, & indebita conuersio ad bonum com-
 mutabile; quid autem indignius, quam Deum, ac se ipsum,
 tanto præclaro fine defraudare? contra id quod à Paulo dicitur:
Rom. 8. Habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem ve-
 rò vitam æternam.

Secundò, æstimatur autem grauitas huius iniuriæ quæ Deo
 facit peccator ex tribus. Primò ex ratione, & dignitate perso-
 næ offensæ, quæ est ipse Deus, creata omnia sine modo, in bo-
 nitate, potentia, maiestate transcendens. Non est sanctus, vt
 est Dominus, neque fortis sicut Deus noster. Et Paul. ad Ti-
 moth. Beatus, & solus potens, solus habens immortalitatem
 Deus, sub cuius ditione cuncta sunt posita, & non est qui tua
 possit resistere voluntati, & magnus Dominus, & magna vir-
 tus eius, & magnitudinis eius non est finis. Ex hac parte,
 grauitas peccati mortalis videtur crescere in infinitum, si
In Ethic. vera est Aristotelis doctrina, vt certè est docentis iniuria
 grauitatem sumi ex dignitate personæ offensæ. Ex quo du-
 bitari non potest quin atrocior sit iniuria Deo per pecca-
 tum illata, quam vlla sit alia, quæ inter homines possit con-
 tingere, aut cogitari. Secundò ex parte personæ offenden-
 tis, quæ est homuncio res vilissima comparatione Dei, & ta-
 men habens Dei imaginem, & à Deo factus, & donatus tot,
 tantisque

Gravitas pec-
 cati ex perso-
 na offensæ.

1. Tim. 3.

In Ethic.

Ex persona
 quæ offēdit.

tantisque beneficijs . Quod si totus mundus Deo collatus, vt dicitur in Sapia est tanquam momentum statera, & tanquam gutta roris ante iucani; quid erit vnus quispiam hominico, qui si cum mundo conferatur vniuerso, minimum quiddam, ac penè nihil est. De quo Deus per Isaiam conqueritur. Vt qui contradicit factori suo testa de famijs terræ. Tertio ex parte causæ ob quam peccator mouetur, vt Deum offendant, quæ est vilissima res, & tamen ob præcium adeo vile Deo se se opponit præferens creaturam Creatori. Quam iniuriam Deus ægerime ferens lamentatur, Violabant, ait, me propter pupillum hordei, & fragmen panis. Et apud Hier. Dereliquerunt me fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. Tertio adhuc magis distinet hanc peccati atrocitatem ponderando, tanta est eius peruersitas, vt non solum non adoret homo Deum, non seruiat suo Domino, creatori suo non obediat, sed contemnat eius virtutes, ac perfectiones, recuset imperium, suam voluntatem ei anteponat, promissiones eius non curet, nihil faciat minas, legem violet ab ipso latam, quod, vt Paulus docet ipsum Deum spernere est. Eiusdem paruifacere potentiam, per quam illico posset in nihilum redigi. Mirum est, quod iustitiam non horreat Dei, cuius est peccantem pœna etiam sempiterna punire, Bonitatem, & benignitatem negligat, ac patientiam à qua expectatur, & benignissimè toleratur; misericordiæ beneficio abutatur cum summa irreuerentia, sapienciam despiciat, cum sciat se à Deo videri, & tamen impudentissimus conspectum, & oculos videntis non erubescit, sed coram, & in os audet illum offendere. Denique ita se gerit omnino, quasi Deus non esset, neque iustus, neque bonus, neque omnipotens, imò tanquam non esset Deus. Dixit insipiens, ait Dauid, non est Deus; licet enim corde aliquo modo credat, factis tamen clamat non esse bonum sibi sufficiens, dum ei terga vertit, & ad aliud se bonum conuertit, & se ipsum ei præfert. Hucusque etiam peruenit stolidi peccatoris vesania, vt ipsam Deum, qui est summum bonum, summe pulchrum, summe amabile odio habeat, secundum illud. Superbia eorum qui te oderunt ascendit semper, & nunc autem, & viderunt, & oderunt, & me, & Patrem meum; potest ne horribilibus aliquid audiri? Adhuc videtur crescere peccati malitia, quia peccator quantum in ipso est Deum occidit, vt etiam

Sap. 11.

Cap. 45.
Ex parte
causæ.

Ezech. 13.

Hier. 2.

Peccator
Deum con-
temnit.

Psal. 73.

Ioan. 15.

Ser. 3. de
Resur.

Peccatum
est summa
ingratiudo.

Isa. 1.

Deut. 32.

vt etiam Scholastici loquuntur, ac si esset interitus capax, diuinitas ipsa periret. Bernardus loquens de propria voluntate, In ipsum, ait, horribile dictu defauit auctorem, nam quantum in ipsa est, ipsum Deum perimit voluntas propria: Omnino enim vellet Deum peccata sua, aut vindicare non posse, aut nolle, aut nescire; vult ergo Deum non esse Deum; quia quantum in ipsa est, vult eum aut impotentem, aut iniustum esse, aut insipientem. Crudelis plane, & omnino execranda malitia, qua Dei potentiam, sapientiam, iustitiam perire desiderat, crudelis bestia, fera pessima, rapacissima lupa, & leana feruissinia. Quarto agnoscitur peccati grauitas summa, ex maximis Dei beneficijs in nos collatis, est enim ingrati animi indignitas intoleranda, tam bene meritum non solum non reuereri, & amare, sed potius contemptui habere, atque odisse. Inter homines quid est, quod magis stomachamur, ac fugimus, quam ingratum aliquem, qui pro beneficijs maleficia, & pro amore odium rependat? Hoc est, quod Deus adeo indignum iudicat, vt caelum, & terras, Angelos, & homines testes aduocet tanta impietatis. Audite caeli ait, & auribus percipite terra, filios enutriui, & exaltavi, ipsi autem spreuerunt me: Cognouit bos possessorem suum, & asinus praesepem domini sui, Israel autem me non cognouit, & populus meus non intellexit. Et generatio praua, atque peruersa haec cine reddis Domino, popule stulte, & insipiens? nonne ipse est Pater tuus, qui possedit, & fecit, & creauit te? Deum qui te genuit dereliquisti, & oblitus es Domini Creatoris tui. Potest hoc loco Concionator amplificare magnitudinem, ac multitudinem beneficiorum Dei: rursus quanta sit animi prauitas, quamque indignum dona, & beneficia Dei in ipsum donatorem cum summa eius ignominia conuertere. Videsne quomodo peccator aduersus Deum se gerat? Sed aduerte etiam ex sequentibus locis quomodo se habeat Deus contra peccatum, vt eius malitiam nobis aperiat. Ex maximo etenim odio quo Deus peccatorem odit apparet peccati quanta sit turpitud.

Dei

Dei Odium contra peccatum. Cap. XXXI.

Deus nihil odit nisi peccatum, cum cætera omnia ab ipso sint, & non possit odio habere quicquam eorum quæ ipse fecit, non serpentem venenatum, non crudelium tygrem, non draconem, non aerem pestilentem, non mortem, non infernum, & tamen peccatum summo insequitur odio. Altissimus odio habet peccatores. Odio est Deo impius, & impietas eius. Odisti omnes qui operantur iniquitatem; & vult omnes suos amicos, & viros iustos eodem odio in peccatores ferri armatos, sicut ex his vnus factus secundum cor Dei affirmat; Perfecio odio oderam illos; & vidi præuaricantes & tabescebam. & in matutino interficiebam omnes peccatores terræ, vt disperderem de Ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem. Eodem igne ardebant Elias, Phinees, Moses, omnes Prophetae, Apostoli, maximè Paulus. Quinto, facile autem erit inuenienti aduertere ex modis loquendi, quibus sacrae literæ vtuntur, quanta sit hæc Dei derestatio, & odium in peccatum. Plenæ sunt vtriusque Testamenti paginae, attingam pauca loca. Videns Deus quod multa malicia hominum, esset in terra, tacuit dolore cordis intrinsecus, pœnitit, ait, me fecisse hominem. Exacerbauit Dominum peccator secundum multitudinem iræ suæ non quæret. Nolite contristare Spiritum sanctum Dei in vobis. Accingite vos cilicij, plangite, & vlulate, quia non est auersa ira furoris Domini à vobis. Et iratus est furore Dominus, & abominatus est hereditatem suam. Pereat Samaria, quoniam ad amaritudinem concitauit Deum suum. Hæc autem ira de Deo dicuntur, vt nihil Deo indignum significent; sed vt Origenes ait, Deus non indecorum iudicauit ea sibi attribuere, propter nostram vtilitatem, sicut solent matres iram ostendere, vt pueros à vitio aliquo deterreant; vel vt ait Hilarius per hos affectus significantur pœnæ peccatoribus aut inflictae, aut infligendae, vt solent homines irati facere. Pœna enim patientis, ira creditur esse decernentis. Denique apparet peccati grauitas, quæ tanta est, vt hæc in Deo, si capax ipse esset efficeret. Et in Euangelio similia de Christo legimus. Videns Ciuitatem

Quantum sit Dei odium in peccatum ex modis loquendi Scripturæ.

Gen. 6.

Psal. 10.

Eph. 4.

Hier. 4.

Psal. 105.

Os. 14.

L. 4 contra

Celsum.

In psal. 2.

- Luc. 19.* uitatem fleuit super eam. Cumque vidit sacrilegia, que in domo Dei fiebant, ita eum zelus repleuit, vel vt in psalmo est, comedit, vt vendentes, & ementes impetu illo & ardore mirabili eiecerit. In suscitacione Lazari infremuit spiritu, & turbauit semetipsum plane ob causam mortis, quæ est peccatum. Passioni mox proximus cepit cadere, & pauere, & moestus esse, non tam propter imminentes dolores, & cruciatus, quam quod personam in se peccatoris poenitentis assumeret. Sexto ex penis quas Deus peccatoribus infligit, satis, superque apparet, quam sit in eius oculis detestandum peccatum.
- Ioan. 11.* Deus (ait Diuus Petrus) Angelis peccantibus non perpercit, sed rudentibus inferni detractos ad inferiora detruisit. Vide quanta esset dignitas Angelorum, & quanta peccati malitia, vt tam nobiles spiritus, & tam multos perdidit, & æternis cruciatibus puniendos sine ulla veniæ spe tradiderit. Hominem in Paradiso terrestri Dei præceptum prætergredientem, vide quam acerbè puniuit, vt expulit de Paradiso, vt morte multauit, vt ad innumeras calamitates cum tota posteritate damnauit. Tempore Noë ob peccata hominum immisit diluuium, & aquis omnes homines perdidit, ac iumenta. Pentapolim igne, ac sulphure succendit, & obruit, & in hoc vsque tempus incendij signa, & irati Dei apparent, vt dicitur Sapientiæ 10. In testimonium nequitie fumigabunda constat deserta terra, & incerto tempore fructus habentes arbores. Populum Israel sapissimè ob varia peccata à Deo grauissimè punitum, omnes Prophetæ prædicant, & historiæ veteris Testamenti. Ibidem scribuntur inflicte poenæ in Chaldaeos, Assyrios, Egyptios, Pharaonem, Nabuchodonosor, & multos alios, plenæ sunt historiæ huiusmodi exemplis. Huc tendunt omnes minæ quas Deus in vtriusque testamenti voluminibus intonat in Impios, vt à peccando deterreat: lege cap. 28. Deut. si non expauescis ad tot maledictiones, quot Deus contra peccatorem intonat, poteris dubitare de duritiæ cordis tui.
- Hebr. 10.* Clamat Paulus horrendum esse incidere in manus Dei uiuentis. Et Deus ipse, Congregabo super eos mala, & flagittas meas complebo in eis. Virgam vigilantem ego video, ollam succensam ego video. Et quis nouit potestatem iræ tuæ, & præ timore

re tuo iram tuam dinumerare, tu terribilis es & quis resistet tibi. Accipiet armaturam zelus illius. Et, iam securis ad radicem arboris posita est. Omnis arbor quæ non facit fructum excidetur, & in ignem mittetur. Væ tibi Corozaim, Væ tibi Bethsaida.

Septimò, sed nulla pœna melius peccati gravitatem explicat, quam pœna inferni æterna præparata Angelis malis, & hominibus eorum sectatoribus vt dicitur apud Isa. Præparata est ab heri Tophet, à rege præparata, profunda, & dilatata, nutrimenta eius ignis & ligna multa, flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam. Vide hoc loco expositionem D. Hieron. Considera multitudinem pœnarum, quas diues epulo cum esset in tormentis expertus clamat, quia crucior, atrocitatem, earum, æternitatem, ignis ardorem, pœnam sensus in omnibus, & grauiorem pœnam damni, propter quam David, ait, Peccator videbit, & irascetur, dentibus suis fremet, & tabescet, desiderium peccatorum peribit, desiderium planè in homine videndi Deum, qui est hominis finis, quo se videt peccator priuatum in omnem æternitatem, & propter vtramque pœnam tam sensus, quam damni, Christus dixit, ibi erit fletus, & stridor dentium, quam sententiam sæpius legimus à Christo in Euangelijs repetitam, tanquam rem maximè attendendam, quam cordi profundius imprimamus; Considera inquam hanc Dei seuerissimam iustitiam in puniendis peccatoribus, & facile erit peccatorum malitiã amplificare, præsertim si simul adicias quanta sit Dei benignitas, & misericordia, quantus amor eius in hominem, quanta magnitudo beneficiorum, quanta ipsius animæ nostræ pulchritudo & dignitas, sicut, & Angelorù, quantum sit prætium sanguinis quem pro nobis effudit, vt nos redimeret, & cum hæc tanti momenti sint apud ipsum Deum, tamen adeo peccatum odit, vt propter ipsum tot Angelos tot animas, tam grauibus, & æternis pœnis discruciet; hoc plane; argumento est, Deum qui est infinita bonitas, non posse tantam peruersitatem tolerare.

Octauò enormitas peccati fortè ex nulla re magis amplificari potest, quam si consideremus remedium, quod Diuina sapientia adiuuenit ad ipsum tollendum, quod est Deum nostram naturam assumpsisse, & mortem tam atrocem, tamque ignominiosam subiisse, vt peccatis ex rigore iustitiæ satisfaceret, ac remedium efficax adhiberet. Sic Isaias, Nos reputauimus

Psal. 75.

Sap. 5.

Matth. 3.

Matth. 7.

Luc. 10.

Infernus pœna peccati.

Isa. 30.

Luc. 16.

Psal. 111.

Matth. 8.

Ex Christi passione peccati apparet grauitas.

Isa. 53.

V v cum

eum quasi leprosum, & percussum, & humiliatum à Deo, ipse autem attritus est propter scelera nostra, cuius liuore sanati sumus. Et iterum Propter scelus populi mei, percussus eum.

Ser. 3. de Nat. Quare merito Bernardus, Agnosce, inquit, quam graua sint uulnera peccatorum pro quibus necesse fuit Christum Dominum vulnerari, si non essent hæc ad mortem, & ad mortem sempiternam, numquã pro eorum remedio filius hominis moreretur. Notanda est inuentio mira diuina sapientia, & charitatis, unde agnoscamus peccati grauitatem. Volebat amor diuinus triumphare de peccato, de Dæmonibus, de morte; quid fecit? de ipsomet Deo triumphauit, quod optimè expressit Paulus delens aut quod aduersum nos erat chyrographum decreti quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio affigens illud cruci, exspolians principatus, & potestates traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso. Quidnam est illud quod Christus affixit Crucis? Certè suamet carnem diuinam, & hoc modo chyrographum decreti affigere dicitur ac delere. Quomodo triumphauit de inimicis, & peccatis nostris? In semetipso.

Ad Coloss. 2. Idem Paulus, hoc scientes quia uetus homo noster Crucifixus est, ut destruat corpus peccati. Quæso te uter homo crucifixus est, nouus ne an uetus Adam? Plane Christus nouus homo in cruce positus, crucifigit in nobis ueterem, & destruit corpus peccati. Et ad Cor. eum qui peccatum non nouerat pro nobis peccatum fecit. Quid est Christum à Patre factum esse peccatum pro nobis? Dices hostiam pro peccato, sed plane modus hic loquendi plus quiddam significat, ut potes videre apud Chrysost. significat enim Christum, non solum satisfacisse pro peccato per mortem, sed subiisse mortem acerbissimam, & valde ignominiosam quasi ipse esset uere peccator, imo uerò quasi esset Christus, ipsummet peccatum. Nam si peccatum esset aliqua persona uiua, & esset condemnanda à supremo Iudice, qua pœna damnandum esset? Certè ea qua Christus damnatus est, ut scilicet flagellaretur, conspueretur, blasphemaretur eijceretur, illuderetur, cruci affigeretur cum summa ignominia, etiam latus post mortem transfigeretur. O incredibile peccati sordiditatem, per quam Christus factus est maledictum inquit Paulus, ut nos de maledicto redimeret, factus est pro nobis peccatum, ut nos iustitia Dei fieremus in illo: & tamen post tantum remedium, ac talem medicinam exhibitã audent homines peccata committere, iterum crucifigentes filium

lium Dei in semetipsis, & ostentui habentes. Bone Deus quam poena digni sunt qui etiã num filium Dei conculcauerint, *Heb. 10.* & sanguinem testamenti pollutam duxerint, in quo sanctificati sunt & spiritui gratiæ contumeliam fecerint? merito sanè peccator se ipsum longè Diabolo peiorem reputare debet, ac dicere. Diabolus nulla præcedente peccati vindicta superbiens peccauit, ego visa eius poena, non continens ad peccatũ properaui. Ille in innocentia constitutus, ego restitutus; ille obdurans ad patientem, ego ad blandientem, & sic vterque contra Deum, ille contra non requirentem se, ego contra morientem pro me. Et ecce cuius imaginem horrebam in multis aspicio me horribiliorem. Hæc ex secundo capite, Ad tertium vero Caput, quod includit damna quæ peccatori peccatum infert, imò toti mundo hi loci sequentes pertinent.

De eodem, loci alij ex damnis quibus auro thorem suum afficit.
Cap. XXXII.

Primò peccatum in animam admissum, tollit gratiam Dei, quæ quam magnum donum sit vix potest ab aliquo intelligi, nedum explicari: est autem donum quoddam animæ inhærens, vt Paulus docet, qui dedit pignus spiritus in cordibus nostris, per quam gratiam anima viuit vita quadam Diuina Deo prærente, sicut vitam naturalem corpus ab anima infomante recipit. Ioannes, inquit, scimus quia translati sumus de morte ad vitam. Per hanc homo fit Deo adeo similis, vt Diuus Petrus dicat, magna, & prætiosa nobis promissa donauit, vt per hæc diuinæ esse memos consortes naturæ. fit filius Dei; Ioannes omnis qui diligit ex Deo natus est: Constituitur iustus iustitia Dei, vt Paulus loquitur non iustitia Dei, quæ Deus iustus est, vt perperam exponunt Hæretici, sed quam dat homini Deus, & iustus fit homo per Deum, vt exponit August. At peccati malitia ea est, vt statim his opibus, ac thesauris misere animam expoliet, eidemque mortem afferat expellendo ab ea Deum, licet foris viuat corpus. Nam sicut fulgur vaginam integram interdum relinquit, & ferreum consumit gladium, sic peccatũ vitam animæ spiritualem perimit viuo corpore, & sicut cadaver habet suum esse naturale, non tamè operationes vitæ cum abest anima, sic anima amissa vita gratiæ retinet quidem esse

Peccatũ gratiam Dei tollit.

- 1. Ioan. 3.
- 2. Pet. 1.
- 2. Ioan. 4.

In ps. 118.

V u 2 natu-

naturale animæ & operationes naturales, non tamen gratas Deo actiones, & cœlestem gloriam promerentes. Ob id comparatur peccatum rebus mortiferis, ferocissimisque, ac venenatis animalibus, vti supra retulimus. Peccatum est quod perdit similitudinem Dei, destruit iustitiam inhærentem ac adoptionem filiorum Dei. Vnde Ioan. Filioli nemo vos seducat, qui facit iustitiam iustus est, qui facit peccatum ex Diabolo est. Omnis qui natus est ex Deo peccatum non facit quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare quia ex Deo natus est. Secundò peccatum auferit ab anima decorem, & pulchritudinem, & eam maculat, & coinquinat. Hierem. Denigrata est super carbones facies eius apud Mattheum. Christos ait ex corde exeunt cogitationes malæ, adulteria, rapina, & hæc coinquinant hominem, vt patet in Lucifero, & Angelis, qui cum essent pulcherrimi, per peccatum in horrendos, ac fœdissimos spiritus conuersi sunt. Hoc autem damnum in animam ex peccato ideo nascitur, quoniam per ipsum auertitur anima à Dei facie pulcherrima, quæ est lux, & splendor animæ, & conuertitur per amorem ad infimas creaturas Deo contempto, & fit abhominabilis, sicut ea quæ dilexit, vt canere possumus cum gemitu lamentationem Hieremiæ: Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum? filij Syon inclyti & amici auro primo quomodo reputati sunt in vasa testea opus manu figuli? qui nutriebantur in croceis amplexati sunt sterora.

Tertiò peccatum efficit, vt opera bona facta prius in gratia mortificentur, & ad meritum gloriæ quamdiu in peccato persistit homo, nihil valeant, sed obliuioni dentur à Deo per id rebus. Manifesta est Dei sententia apud Ezechielem. Si auertit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, omnes iustitiæ quas fecerat non recordabuntur, in peccato suo morietur. Non semel contigit, vt viri magnis virtutibus illustres, & pleni rectis operibus, in lethale crimen inciderent, & morerentur in eo, & damnarentur qui casus maximè a nobis formidandus, & dolendus est: quemadmodum si onustam prætiolis mercibus nauim tempesta abripiat & in profundum demergat, vt meritò D. Paulus admoneat, Sic currite, vt comprehendatis. Quartò præterea adeo est crimine contactorum misera conditio, vt opera eorum, licet alioquin bona moraliter, non possint ad meritum gratiæ, seu gloriæ computari, neque tunc, neque vnquam:

1. Ioan. 3.

Macula animæ ex peccato.

Thr. 4.

Matt. 15.

Thr. 4.

Opera bona mortificantur.

Cap. 18.

1. Cor. 9.

quam: nam opera nostra ex se ipsis, nec valorem habent ad supernaturalia, nec possunt habere proportionem, nisi per gratiam, per quam vim accipiunt, & eleuantur ad eam dignitatē, vt maiorem gratiam, & gloriam mereantur, at dona iniquorum non probat altissimus. Itaque quamuis aliquando disponant homines ad penitentiam, & aperiant viam ad misericordiam, & ad alia nonnulla valeant, tamen mereri gratiam, & gloriam nequeunt audi Isaiam Quare ieiunauimus & non asperxisti, humiliuimus animas nostras & nescisti? quia in diebus ieiuniorum vestrorum inuenitur voluntas vestra: Quod dixi de merito, etiam verum est de satisfactione, quae facta in peccato mortali non dimittit penas, nec est sufficiens ad debita solueda. Neque hoc damnum debet paruifiri, cum reuera sit maximum, amissio scilicet hereditatis filiorum Dei perinde, ac si filius magni Regis facinus aliquod aduersus Patrem committeret quo fieret reus laesa maiestatis, ac regio patrimonio iure priuandus esset; quod simile est stultitiae Esau cuius exemplum nobis Paulus proponens ad Hebr. recte nos admonet, Ne quis fornicator aut prophanus sit vt Esau, qui propter vnam escam vendidit primitiua sua, & postea cupiens hereditare benedictionem reprobatus est, non enim inuenit penitentiae locum, quamquam cum lacrymis inquisisset eam.

Opera bona in peccato laeta carere merito.

Eccl. 34.

Isa. 58.

Heb. 13.

Peccator multis Dei donis priuatur. Cap. XXXIII.

Quintò priuatur homo multis Dei auxilijs, & beneficijs dum in anima peccatum retinet. Nam quamquam Deus nulli licet grauisimo peccatori, vt Iudae ac Pharaoni auxilium quod vocant Theologi sufficiens denegat, tamen quod abundans appellant negari solet ob peccata, adeo vt qui diu perseuerant in ijs, eaque multiplicat, à Deo in scriptura dicantur derelinqui, vt apud Isaiam de vinea dicitur, Ostendam vobis quid faciam vineae meae, auferam sepem, diruam macteriam, & ponam eam desertam, non putabitur, & non fodietur, & nubibus mandabo ne pluant super eam imbrem. Et Hierem. Defecit sufflatorium, in igne consumptum est plumbum, frustra conflauit conflator, malitiae eorum non sunt consumptae, argentum reprobum vocate eos, quia Dominus proiecit illos. Eandem ob causam Deus dicitur execrari & obdurare; Isaiæ. Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claudet, ne forte videat oculis suis, & auribus suis, & corde suo in-

Cap. 5.

Hier. 6.

Esa. 6.

- telligat, & conuertatur, & sanem eum. Et Exod. Ego indurabo cor Pharaonis: quæ verba non significant Deum aliquid efficere positivè, vt aiunt per quod peccator obduretur, tanquàm Deus duritiem, vel cœcitate inducat; sed solum ob peccatorum mala merita, quædam peculiaria auxilia negare, ex quorum absentia sequitur cœcitas, & durities. Eodem modo Angeli custodes Deum imitantes, etsi non omnino deferant peccatorem, vt neque Deus, tamen non concedunt eos fauores, quos exhibere soliti sunt iustis, vt docet Basil. & glossa in illud Hieron. curauimus Babylonem, & non est curata, derelinquamus ergo eam.
- Exo. 7.* Sexto super hæc priuatur peccator ob peccatum multis consolationibus; quibus Deo inhabitante, & visitante anima iustorum fruuntur, ex Dei presentia, & familiaritate secundum illud. Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te; vnde scilicet fit, vt etiam in maximis vitæ huius calamitatibus lætitia gestiant. Ideo Christus inuitat, Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Et Paulus. Superabundo gaudio in omni tribulatione nostra. Et Hieron. Testis mihi est Deus post multas lachrymas post cœlo inhærentes oculos, videbar mihi agminibus interesse Angelorum, & lætus, gaudensque canebar, post te curremus in odorem vnguentorum tuorum. Gaudent iusti in legis diuinæ custodia. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo. Et ambulauit in latitudine, quia mandata tua exquisiuit: In memoria Dei, Psal. Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus sum: In oratione, vix dici potest. Cum quanta suauitate plorat, qui cum gemitu orat: In laboribus, qui pro Christo tolerati, sunt suauiores omnibus delicatissimis cibus, vt August. exponit illa verba psalmi, labores manuum tuarum quia manducabis. Has verò consolationes Spiritus Sancti non possunt habere, qui in carne, & peccatis viuunt. Nam manna ex sapient. i. habebat omnem saporis suauitatem, sed non omnibus sapiebat, nisi solis bonis, vt docet August. & patet, quia reprobi dicebant, Nau-
Lib. 2. retract. c. 20. featur anima nostra.
- Priuatur fru-
ctu Sacramen-
torum.* Septimo, Adde priuari ob peccatum hominem fructu Sacramentorum si accedat cum peccato sine debita preparatione; Operantur enim Sacramenta ad remissionem peccatorum, & collationem gratiæ, si tamen homo sit sine voluntate peccati; priuatur thesauro indulgentiarum, quæ non profunt nisi existenti

stenti in gratia; priuatur participatione omnium bonorum operum, quæ in Ecclesia fiunt, tanquam membrum aridum. Itaque non potest cum Psalmista dicere, Particeps ego sum omnium timentium nomen tuum. Priuatur verbi Dei efficacia, inspirationibus multis, earumque fructu, quas Deus amicis suis communicat, vt non possit canere cum Dauide, Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam, & in eos qui conuertuntur ad cor. Priuatur Eucharistiæ nutrimento, & dulcedine, orationum pio vsu, & effectu, cum in multis verum sit illud, scimus quia peccatores Deus non audit: qui autem in peccato est, vix potest orare, cum oratio sit eleuatio cordis ad Deum, ipse vero miserum in modum grauissimo prematur pondere, ac deorsum non sursum tendat. Denique spoliatur homo multis fructibus in quibus communicant iusti in Ecclesia sancta Dei inter se, per eam societatem, Communionemq; Sanctorum, quam confitemur in Symbolo: quæ quid contineat vide in Catechismo, Concilij Trid. iussu edito.

Octauò ex peccato triplex genus facultatum, seu potentiarum in homine graue patitur damnum. Intellectus, Voluntas, & Vires, quæ executioni operum seruiunt. Obscuratur intellectus: Paulus, obscuratum (inquit) est insipiens cor eorum: vnde à Clemente Romano, & Ambrosio comparatur peccatum fumo, quia sicut hoc, acies oculorum læditur, ita mens scelerum obscuratur peccato; quo fit vt non videant bona quæ amittunt, nec mala quæ incurrunt, nec vitæ breuitatem, nec Dæmonis insidias, sed instar cæcorum cæcutiunt & indigent collyrio, quo Ioannes suadet inungendos oculos vt videant. Præterea obstupescit affectus, vt non sentiat rerum spiritualium gustum, & saporem. Ob id Hieron. & August. in illa verba: Omnis qui comederit vnam acerbam, obstupescet dentes ipsius, affirmant peccata esse vnam acerbam. Denique Potentia executricis obtunditur virtus ad rectè agendum, vnde imbecillitas nascitur: optimè enim Chrysostr. ex peccato duplex malum ait oriri, vnum quo offendimus, alterum quo peiores reddimur, & addit ibidem nihil tam impudentem, quam peccatum; Confundit quidem eum qui se condènauit, at eum qui frontem perfricauerit efficit procaciorè, qui febre corripitur, non solum morbum patitur dum febre laborat, sed etiam liber à febre sentit virium corporis imbecillitatem; & sicut qui ex alto cadit ita colliditur vt etiam post me-

V u 4 dica-

Tria genera potentiarum peccato læduntur.

Rom. 1. Lib. 2. de Caim. & Abel.

Ap. 3.

In ps. 48.

Homil. 30. ad Pop. Ant.

dicamenta, & sanitatem relinquatur in membris debilitas, sic remissio peccato manent tamen reliquia.

- Tollit pacē animæ peccatum. *Lib. 1. cōf. e. 12. in fine.*
Gen. 4. Nonō tollit peccatum animæ pacem, & tranquillitatem, & affert secum conscientiaē malæ tormentum. Verissimè namque dixit August. Iussisti Domine, & sic est, vt pena sua sibi sit omnis inordinatus animus. Huius rei est euidens argumentum, tremor ille qui in Caim dicitur mansisse post commissum scelus vt propterea diceret: Ecce eijsis me à facie tua, vagus, & profugus ero, vel sicut vertunt septuaginta timens, ac gemens: Omnis qui inuenerit me occidet me. Ratio autem est aperta, quia cum peccatum tollat ab anima Deum ac iustitiā, ac bonam conscientiam, tollit simul, & pacem, & tranquillitatem quæ ex Dei præsentia & gratia nascitur, teste Paulo, gloria nostra hæc est testimonium conscientiaē nostræ, quam conscientiaē vim vel Ethnici sapientes intellexerunt. Bias Philosophus interrogatus, quidnam in vita metu vacaret, dixit bonam conscientiam, & Socrates quærenti euidam, quinam sine perturbatione viuerent, qui, inquit, sibi nullius mali concij sunt. Quantum verò sit conscientiaē malæ tormentum satis est notū, ipsa sine alio tortore cruciat scelestos & lacerat. Propterea optimè Paulus Reuelatur, ait ira Dei de cælo super omnem impietatem, & iniustitiam hominum, eorum qui veritatem Dei in iniustitia detinent, & Rom. 2. Ira, & indignatio tribulatio, & angustia in omnem animam hominis operantis malum. Quod tormentum tempore mortis magis quam alias in vita sentitur, vt dicitur sap. 4. Venient in cogitationem peccatorum suorum timidi, & traduent eos ex aduerso cogitationes ipsorum, præterquam quod inordinatæ passiones quæ solent consequi statum peccatoris sunt, tartaræ quasi furia, torquentes multis modis animas, vt bene dictum sit Isa. 9. Cor impij quasi mare feruens quod quiescere non potest. & D. Chrysost. docet peccatum esse Dæmonium voluntarium, & peccatorem esse peiorem arreptitio, & Dæmoniaco. Ex quo patet neminem esse mihi peiorem hostem, quam sim ego mihi ipsi, si peccatum admittam, secundum illud Tobia: qui faciunt peccatum hostes sunt animæ suæ. Itaque nunquam tantum nocere possent Tyranni, belluæ, dæmones, & omnes huius vitæ calamitates, si in me irruerent, quantum vnū tantummodo mortale peccatum.

Detrimenta quibus totum mundum peccatum afficit.

Cap. XXXIV.

Decimò Peccatum toti mundo detrimentum affert. Paradiso, quia Angelos, ac beatos priuat lætitia & gloria, quam ex confortio bonorum recipiunt. Vt fumus ait Basiliius in Psal. 33. fugat apes, & fœtor columbas, sic peccatum Angelos, quorum etiam custodiam reddit inefficacem. Animas purgatorij priuat suffragijs quibus subleuantur à penis, quia vel non suffragantur eis Peccatores, vel sunt inualida eorum suffragia ob venenum peccati mortiferi. Etiam damnatis nocet, non enim solatium ipsis est habere in malis socios, sed crescit ex numero pœna, sicut lætitia crescit beatis. Ecclesiæ multis modis infert damnum. Primum quia est peccator sicut membrum inutile corporis quod non adiumento, sed ponderi est. Deinde quia non solum est membrum inutile, deforme, onerosum, sed etiam pestilens, quod scandala multis offert, & malo exemplo inficit. Infidelibus nocet quoniã, vt Paulus ait, Per vos blasphematur nomen Dei inter gentes, quæ male iudicant de Christiana lege propter malam Christianorum vitam. Item omnibus creaturis ratione carentibus, dum eis contra Dei gloriam abutitur. Tunc fit quod Paulus testatur, vt vanitati creatura subiecta sit, non volens, & ingemiscat, atque parturiat. Quare non mirum si suo tempore armabitur ipsa ad vltionem inimicorũ; & pugnabit pro Deo orbis Terrarum contra insensatos.

Vndecimò peccatum suo authori maxima damna infert non solum in spiritualibus, & æternis, vt in multis ostensum est, adeo vt possit verissimè dici, Exinanite exinanite vsque ad fundamentum in ea, verum etiam in bonis vt vocant fortunæ, ac corporis, nam ex peccatis multi sæpe morbi, & mors nascuntur. Gula plures haud dubie occidit, quam gladius, opes prodiguntur, fama deperditur, dedisti maculam in gloria tua, amicitia percutit, patrimonia pessundantur, regna destruuntur. Verum est quidem multos etiam scelestos à Deo non puniri pœnis in hac vita, alios autem plecti. Vtrobique summa est Dei sapientia, si enim nullum puniret hic, quis crederet Deum habere humanarum rerum prouidentiam, & si omnes plecteret, quis crederet futurum iudicium & pœnas æternas, quæ est ratio Greg. Chrysostomi passim, & aliorum Sanctorum. Postremò loco, vt maximum damnum addam, peccatum asserre in multis ma-

In ps. 33. Homil. 20.

Ecclesiæ nocet.

Rom. 2.

Omnibus creaturis.

Rom. 8. Sap. 5.

Nocet peccatum bonis externis.

Lib. 5. Moral. c. 15.

lam

Peccatores
mala mors se
pissimè sequi
tur.

Prima proba
tio ex parte
Dei.

Psal. 17.

Prou. 1.

Lib. 15.

Mor. c. 7.

Iob. 27.

Prou. 21.

Matt. 25.

Secunda pro
batio.

Ex parte libe
ri arbitrij.

Aug. c. 17.

l. de vera

& falsa

pen. ini-

tio.

Iam mortem, qui est effectus maximè deplorandus, & vltimum hominis exitium, & principium omnium malorum in omnem aternitatem, cui nullum exinde potest adhiberi remedium. Hæc autem veritas probatur ex ratione quæ triplici fundamento, eoque optimo innititur primum est ex parte Dei qui iustissimo iudicio permittit, vt qui in vita non est recordatus Dei, etiam in morte sui ipsius obliuiscatur; Ac Deus quidem sufficiens auxilium ne in morte quidem peccatoribus denegat, sed quoddam aliud abundans, ex meritis vitæ in peccatis actæ, non tribuit. Itaque cum sæpe à se Deum expulerint, atque adeo vt supra diximus Sacrosanctam eius maiestatem bonitatemque contempserint, mirandum non est, si talem in se Deum experiantur in morte, quales ipsi erga illum in vita se præbuerunt, & inde fit vt male pereant. Confirmatur autem hæc doctrina scripturarum autoritate. Cum Sancto (ait David Deum alloquens) sanctus eris, cum electo electus eris, cum viro innocente innocens eris, quid tum? & cum peruerso peruerteris. Prou. Vocauit, & renuistis, extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret, despexitis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis; ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cum vobis id, quod timebatis aduenerit, cum irruerit repentina calamitas, & interitus quasi tempestas ingruerit, tunc inuocabunt me, & non exaudiam, mane consurgent, & non inuenient me. Quam tandem ob causam? eo quod exofam habuerint disciplinam. Infert conclusionem; comedent igitur fructus vitæ suæ, suisque consilijs saturabuntur. Ad eiusdem doctrinæ corroboracionem affert D. Gregorius illa verba Iob. Quæ est spes Hypocritæ si auare rapiat, & non liberet Deus animam eius? nunquid Deus audiet clamorem eius cum venerit super eum angustia? & in prou. qui obturat aurem suam ad clamorem pauperum, & ipse clamabit & non exaudietur, & illud Matthæi Domine Domine aperi nobis, amen dico vobis nescio vos, vigilate ergo quia nescitis diem neque horam.

Secundum fundamentum est ex parte liberi arbitrij, quod tempore mortis est valde inhabile ad conuersionem, ac veram penitentiam, quam sanus homo, & bene valens non est amplexatus. Verum est illud Augustini, Arbitrij libertatem querit Deus non necessitatem. Non id quidem dicit Augustinus animam, quamdiu est in corpore, amittere libertatem, nec loquitur de statu eorum qui in phrenesim incidunt, sed de peccato-

atoribus qui licet habeant libertatem non tamen expeditam est glossa Bonaventuræ in verba Augustini, Arbitrij libertatem querit Deus expeditam (ait) non quasi necessitatem, & coactionem. Eo autem tempore multa sunt, quæ hanc expeditam libertatem non tollunt quidem sed valde impediunt, vt est magnus timor, tristitia & mæror summus opprimens huiusmodi infirmum; imaginatio valde turbata, & hebetes sensus, & inde intellectus valde imparatus ad considerandum. Voluntas vix facit actus, qui sint plene voluntarij, sed fere ad eum modum quo mercator projicit merces orta tempestate, quem Aristoteles actum inuoluntarium simpliciter docet esse, secundum quid voluntarium. Atqui penitentiam Deus simpliciter voluntariam exigit, quia hoc verè & propriè voluntariū est.

Tertium principium est à Dæmone, qui tunc maximè peccatori insidiatur vt probat magister sententiarum ex loco Psal. Iniquitas calcanei mei circumdabit me, & ex illo Genesis tu insidiaberis calcaneo eius. Hæc dicta sint de locis ad odium peccati excitandum, quos placuit aliquanto fusius explicare, vt Concionatori aliqua ex parte laborem imminuerem in resummi momenti ad quam debet esse valde paratus; & in concionibus suis frequenter excurrere.

Tertia probatio.
Ex parte Dæmonis.
Gen. 3.

Pœnitentiam Orator inculcet eiusque partes.

Cap. XXXV.

Studium ac diligentia & zelus Concionatoris in hoc maximè elucere debet, vt frequenter ad peccatorum penitentiam adducere auditores suos conetur. Ostendit hoc auctoritas sacrarum literarum, quæ in penitentia persuadenda passim excurrunt sic videmus fecisse Christum, sic Io. Baptistam, sic Prophetas, sic Apostolos quibus Christus dixit oportere prædicari in nomine eius penitentiam, & remissionem peccatorum.

Luc. 24.

Secundò sancti Patres non solum hac de re frequenter agunt in suis ad populum tractatibus, sed etiam libros integros conscripserunt, vt & ipsi paratos haberent locos, & posteris materiam ad discendum, & ad dicendū relinquerent. Scripsit Chrysostomus multas de penitentiâ homilias, scripsit de compunctione cordis, scripsit Ambrosius libros de penitentia. Scripserunt Tertull. Cypr. ad Nouatum, Patianus August. de vtil. penitentia de contritione cordis, de vera, & falsa penitentia, si tamen est eius ille liber, sed quicumque author fuerit, certe vtilem, & grauem

*Hom. 5. de
pan.*

*Hom. 80.
ad pop.*

Ant.

Quare de pe
nitētia sæpe
prædicandū.

Isa. 27.

Quare aliqui
Concionato
res parum
sunt utiles.

grauem doctrinam habet. D. Chrysoſt. non ſemel teſtatus eſt, Apoſtolum ſemper cœleſti, & diuina lingua ac multa ſcientia, tunc vero maximè uſum, dum pertinacibus, ac impenitentiſus penitentiæ intulit ſermonē, idemq; Chryſ. gloriatur quod ea ſibi frequenter in ore ſit, & dicit ſe de penitentiâ continuo ſermonem mouere.

Tertiò, Ratio autem quæ concionatorem mouere debet, ut crebro inculcet, illa eſt, quod nihil magis habere debet in uotis, quam ut Conciones, quas habet, fructum animarū ad Dei gloriam pariant cum hic ſit finis & ſcopus, quo tendere debet omnis Cōcionantis Industria, & labor, teſte ipſomet Chriſto cuius legatione fungitur, cum dixit ego uos elegerim ut eatis, & fructum afferatis, atqui præcipuus, imo teſte Iſa. omnis fructus eſt ut peccatum auferatur, hoc autē effici non poteſt niſi per penitentiâ, quam ipſe Concionator, cum Theologis neceſſariâ eſſe docere debet non ſolum neceſſitate præcepti, ſed etiam medijs, quia ſine pœnitentiâ in adultis peccatū remitti non poteſt, & cum ea nullum tam graue ſit cui Deus non ſit paratus ignoſcere. Hinc uidemus eos Concionatores, qui copioſam meſem ex ſemine uerbi Dei collegerunt, hoc adiumento maximè uſos, S. Vincentium Ferrerium, D. Antonium Patauinū, S. Bernardinum Senenſem, & alios ſimiles, quos conſtat innumerabilē peccatorum multitudinem ad Chriſtum traxiſſe, ut mirandum ſit vnum ex ijs tam multos conuertiffiſſe, contraq; dolēdum multos alterius notæ Cōcionatores, in magna aliqua Ciuitate, imò uero in prouincia tota quotidianis quadrageſimæ, ac totius anni, paucos concionibus inſiſtentes, à peccatis abducere. Adeò certum eſt vnum eſſe inſtar centum, & centum nō poſſe peruenire ad fructum vnius. Cauſa huius rei illa eſt, quoniâ Sancti illi Patres magno cum ſpiritu & efficacitate diuinæ eloquentiæ, non humanæ, penitentiâ prædicabant, peccati turpitudinē atque horrore in conſpectu ponebant, terrorē iuſtitia diuinæ incuriebant, ad dolorem, & lacrymas peccatores mouebant ſeruo, cum alij potius in eo ſint, ut uana, & inflata eloquentia, ſteriliq; doctrina aures auditorum demulceant, & quāuis aliquid de peccato, & penitentiâ dicant, id quaſi obiter ſine ſpiritu, ſine zelo, ſine charitate, delibent, ita ut uerba non afficiant animum, non turbent piſcinam cordis, non inclinent uoluntatem. Nemo autem uere atur, ne idē ſæpius argumentum inculcans moleſtus ſit, præſto enim ſunt alia, atque alia ſcripturarū loca, quæ uarietate flecent auditores, & conciones nouis ſentētijs exornabūt.

Non

Non desunt diuersa considerationes ex libris sanctorum Patrum collectae de poenitentia, & de peccatis, nec desunt occasiones, & temporum, & locorum, ad opportunitatem capefendam; non varia poenitentium exempla, & sanctorum historiae, atque Hoc sit primum in hac materia monitum.

Secundo explicet tres poenitentiae partes, quarum prima est Contritio, quae non solum in dolore peccati sita est, sed in firmo voluntatis proposito non peccandi. Ad hoc excitandus est saepe Auditor, vt fixum in corde habeat illud Dauidis Iuravi, & statui custodire iudicia iustitiae tuae, & vocem teneat Sufanna, melius est mihi incidere in manus hominum, quam peccare in conspectu Domini mei; & trium puerorum: Notum sit tibi Rex, quod Deos tuos non colimus, & statuam, quam erexisti non adoramus. Adhibeat omnem vim, vt eum animum induat poenitens, vt dicere possit. In capite libri scriptum est de me, vt faciam voluntatem tuam Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei. Afferat rationes ad convincendum intellectum, afferat historias Martyrum, & Sanctorum ex quibus quisque intelligat, quam sibi omnino id conueniens, necessarium, atque etiam facile sit, praesertim si semel conatu magnanimo statuam ea tenere remedia, quae nobis facere literae proponunt, vt sunt fuga occasionum, Sacramentorum vsus frequens, lectio spiritualium librorum, orationis deuota assiduitas, & operum misericordiae, Verbi Dei auditio, consuetudo cum viris probatae virtutis, & huiusmodi alia. Secunda poenitentiae pars est confessio, quam egregie, ac saepe commendare oportet tanquam medicinam infirmorum, tanquam tribunal misericordiae, tanquam reconciliatricem pacis inter Deum, & hominem, tanquam Ciuitatem refugij, ostendendo quantoperè Dæmoni displiceat, cum per eam omnia eius tentamenta, & machinae destruantur, & ruant, quam suauis sit onus his, qui frequentant, quantam animi quietem conferat. Doceat suos vt eligant sibi bonos confessarios, prudentes, & studiosos animarum: explicet modum confessionis faciendae cum suis circumstantijs. Tertia verò pars est, quam vocamus satisfactionem, ad quam illud primo loco pertinet, vt si qui sunt, in proxima occasione peccandi omnino deuitent si vel de fama proximi detraxerint, vel ei aliter damnum intulerint, restitutione medeantur, soluant mercedem legata, vota, & iuramenta compleant. Deinde exequantur satisfactionis opera, vt sunt ieiunia, & alia corporis

Tres poenitentiae partes.
Dan. 13.
Propositum firmum non peccandi.

Dan. 3.
Psal. 39.

Handwritten marginal notes in Latin script, including the words "Afferat", "rationes", "historias", "sanctorum", "intelligat", "conueniens", "necessarium", "facile", "praesertim", "semel", "conatu", "magnanimo", "statuam", "nobis", "facere", "literae", "proponunt", "vt", "sunt", "fuga", "occasionum", "Sacramentorum", "vsus", "frequens", "lectio", "spiritualium", "librorum", "orationis", "deuota", "assiduitas", "&", "operum", "misericordiae", "Verbi", "Dei", "auditio", "consuetudo", "cum", "viris", "probatae", "virtutis", "&", "huiusmodi", "alia".

ris castigationes, eleemosynæ, & opera misericordiæ, quæ multum valent ad peccatorum compensationem, vt docuit Daniel cum Regi consilium dedit, vt eleemosynis peccata sua redimeret, denique orationes. Ad quam rem suggerent materiam penitenti, & concionatori ad exhortandum Ambrosius ad Virginem lapsam; Chryostomus de compunctione, Basilius ad Monachum lapsum; Anselmus de deplorata Virgine, Augustinus in libris Confessionum.

Penitentia actus proponat. Cap. XXXVI.

Tertio loco circa hanc materiam penitentiæ proponat, & explicet diuersos actus, & affectus qui ipsam penitentiam comitantur. Penetrat enim hæc virtus totum hominem, & non solum animæ rationalis potentias peruadit, sed etiam sentientis, vsque ad lachrymas, vsque ad membra corporis. Eamque ob rem à D. Chryostomo comparatur Penitentia matronæ sedulæ ac seueræ, quæ suas omnes ancillas animæ scilicet potentias, & sensus occupat, iubetque eas attentas esse operi, singulis sua diuidens munia; memoriæ mandat recordationem omnium peccatorum, quæ quis commisit, vt congerat (ait Augustinus) totam miseriam suam in conspectu cordis sui: Intelligentiæ vt diligenter singula meditentur, non actus solos, sed modos, & circumstantias eorum, non abstracta quadam, ac nuda cogitatione, sed per accusationem, ac stimulos, vt fiat, inquit Augustinus, illud psalmi, conuersus sum in ærumna mea, dum configitur spina. Ad voluntatem verò plures affectus siue actus pertinent. Primo odium peccati, vt dicit Psalmus iniquitatem odio habui, & abominatus sum, legem autem tuam dilexi, cum nolimus peccasse omnino.

Secundo timor tum pœnæ, quem scimus fundamentum esse penitentiæ, qui excitatur à fide, dum ponit ante oculos ex quanta gloria peccator exciderit, & quam propè ad tenebras exteriores accesserit; tum culpæ, vt est offensâ Dei, ob quem timorem Martyres, neq; tormenta, neq; mortem timuerunt.

Tertio spes ac fiducia erga Deum ad impetrandam remissionem, quæ quidem ex parte Dei certa est, cum Deus in promissione mentiri non possit sua; ex parte autem nostra, omnino securâ non est, cum nemo hoc sibi promittere possit, certa notitia se ad gratiam satis præparatum fuisse. Ex qua

inccr-

*Lib. 2. de
cōp. cordis.*

*Lib. 8. Con
fess. c. 12.*

*Lib. de
util. pœn.
Penitentia
quid in vo-
luntate ope-
retur.*

incertitudine nascitur timor: quidam suspensionis animi, qui non est malus, modo non excludat spem, & potius vrget penitentes ad maiorem dolorem, & sancta opera solet. Spe- rare iubent sancti, sed etiam timere, ne simus segnes in ope- ribus penitentia: lege de hoc timore suspensionis mira apud Climachum. Denique hortare penitentes, vt non sint conten- ti modico dolore, sed adhibeant magnum conatum; cum scri- ptura requirant conuersionem ex toto corde, & cor contri- tum, & humiliatum, & cor scissum, quod poterit explicari, tum verbis scripturarum, vt supra monuimus, tum exemplis eorum, qui dignam penitentiam egerunt. Admiranda Oli- machus loco citato suppeditabit exempla. Huc etiam perti- *gradu 30.* net vsus, & praxis Ecclesie primitiuae de solemnibus, & publi- cis penitentijs irrogatis propter publica quaedam, & grauiora delicta. De quibus vide Sozomenum: Iuuabantur enim *Lib. 7. c. 16* illi penitentes orationibus, & lachrymis aliorum Christiano- rum, vt sic dolor peccati cresceret. Et quidem optandum est Penitentiae vt adeo crescat, vt etiam desideret penitens si fieri posset infi- solennes. nitum dolorem, qui licet haberi nequeat tamen desiderium est laudandum, & meritum habet. Ad haec omnia confirman- da optimum exemplar veri penitentis est Dauid in septem *Exemplu ve* psalmis quos penitentiales vocant, in quibus sanctus Rex af- ru penitentiae fectus cordis vere penitentis ostendit, legatur Gregorius in *Dauid in* expositione eorundem psalmorum, qui exprimit eisdem af- psalmis. fectus egregie: quos si Christianus orator ad viuum poterit efformare in sese, & in concionibus suis, multum sane vale- bunt ad excitandum in alijs peccatorum dolorem. Quomodo enim fieri potest, ait Chrysostomus, vt anima infirma, & fri- *Lib. 2. de* gida compunctionis verba pariat? ego enim puto quod is qui *Cop. cordis* in hac materia vult aliquid dignum proferre, ipse ante omnes *statim ini-* debet hoc calore feruere, & salutari hoc incendio primus *tio.* igniri quo etiam sermones, qui ab eo proferuntur ignire, & animas auditorum accendere possint.] Possunt vero hi af- fectus notari hoc modo in Dauide. Peccati cognitio apparet cum ait, quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & am- *Psal. 50.* plius laua me, & peccatum meum contra me est semper; ti- bi soli peccaui. Timor illis verbis. Domine ne in furore tuo *Psal. 37.* arguas me, & tota die contristatus ingrediebar. Dolor, vbi *Ibid.* ait. Afflictus sum, & humiliatus sum nimis, rugiebam a ge- mitu cordis mei, Spes ibi. Conuertere Domine, & eripe *Psal. 6.* animam meam saluum me fac propter misericordiam tuam.

Pro-

*Ibid.**Psal. 50.**Ibid.*

Propositum emendationis cum dicitur, discedite à me omnes qui operamini iniquitatem; & principium aliquod dilectionis. Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam. Confessio siue accusatio significatur ibi; Miserere mei secundum magnam misericordiam tuam. & peccatum meum contra me est semper; & satisfaciendi ardens desiderium, quoniam iniquitatem meam ego annuntiabo, & cogitabo pro peccato meo. Hæc dixerim exempli causa, ut Concionator volens ad veram penitentiam homines adducere; pareret sibi locos communes ad excitandos affectus huiusmodi tum ex scripturis, tum ex sanctorum Patrum lectione, & ex multis historijs, quæ ad id valent; & studeat applicare dictionem suam ad hos actus; qui ad iustificationem preparant. Verbi gratia timor excitatur ex peccatorum magnitudine, indignitate nostri, mortis necessitate, ac incertitudine; Iustitiæ Dei punientis seneritate; fiducia vero, & spes confessione peccati, & correctione, humilitate nostra, imploratione diuini auxilij, promissione Dei, Spiritus sancti præsentia adiuuantis, intercessione meritorum Christi, Dei benignitate; quia Deus nouit figmentum nostrum, & alijs huiusmodi locis.

*Prudentia, & modus in arguendis peccatis.**Cap. XXXVII.*

Quam sit proprium Concionatoris munus peccata arguere in secunda parte, cum ageremus de genere reprehensorio, aliqua ex Scripturis sacris, & Patrum authoritate annotauimus; Nunc de prudentia in arguendo loquemur. In hoc enim magna opus est industria, & arte, magna prudentia tenenda est; non enim idem arguendi modus cum omnibus seruandus. Etenim (vt D. Greg. docet) sæpè alijs officiunt, quæ alijs profunt: quia plerunq; herbæ, quæ hæc animalia enutriunt alia occidunt, & lenis sibilus equos mitigat, canes instigat; & medicamentum, quod hunc morbum imminuit, alteri vires iungit, & panis qui vitam fortium roborat, paruulorum necat. Et affert ibidè optimam similitudinè, quid enim (inquit) sunt intentæ mentes Auditorum, nisi vt ita dixerim, quædam in cythara tentiones strætæ chordarum, quas tangendi artifex, vt non sibi metipsis dissimile canticum faciant, dissimiliter pulsat, & idcirco chordæ consonam modulationem reddunt, quia vno quidem plectro, sed non vno impulsu feriuntur.]

Loco

L. 3. pass. in prolog.

Increpatio, varijs modis vsurpanda.

Loco supra citato probauimus, quam sit proprium Prædicatoris munus à Deo iniunctum, peccata arguere, sed nisi hoc ex charitate nascatur, arrogantia proprium esset. Hæc, inquit Greg. esse solent propria arrogantium Prædicatorum, vt etiã afflictos auditores suos magis districtè corripere appetant, quam blandè fouere. Plus enim student, vt mala obiurgando increpent, quam bona laudando confirmant. Superiores quippe videri desiderant, & magis gaudent cum eorum animum ira eleuat, quàm cum charitas exæquat; semper inuenire optant quæ increpando rigidè feriant, vnde scriptum est: In ore stulti virga superbiæ, quia videlicet percutere rigidè scit, sed compati humiliter nescit.] Et subiicit optimum documentum, vt non solum arguant, & acriter vbi est opus, sed etiam laudent quæ laude digna sunt. Affert exemplum Pauli, vbi primo Paulus Corinthios laudat: Gratias ago Deo meo semper pro vobis in Christo Iesu, quia in omnibus diuites facti estis in illo, & adhuc blandimenta multiplicat dicēs: In omni verbo, & in omni scientia, sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis, & adhuc subiungit ira, vt nihil vobis desit in vlla gratia. Quaso te Paule, istis tot fauoribus quo tendas insinues. Ecce sequitur, obsecro autem vos fratres per misericordiam Domini nostri Iesu Christi, vt idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata; significatum est enim mihi de vobis fratres mei, quia contentiones sunt inter vos, de quibus contentionibus subdit; cum sit inter vos zelus, & contentio nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis? ecce quibus laudibus; ad aperta correptionis verba descendit, ecce in corde audientium quam blanda fauoris manu viam districtæ increpationis aperuit, prius, vt peritus medicus sana membra, quæ circa vulnus erant, laudando palpauit, & postmodum putridum sinum vulneris, feriendo transfixit.] Præter hæc magna cura est adhibenda, vt ita vitia reprehendantur, vt nemo prodatur nec generalibus quidè verbis, vt si quis diceret, scio hic aliquè esse vsurarium; vel non sine causa hoc dico, scio cui loquor, vel quid simile, Talis mordacitas longè abesse debet à verbo Dei. Neq; tamen sic agendū est tamquam si de Idea aliqua Platonica, omnino ab vsu remota, sermo esset; sed ita attingēdi sunt peculiare actus peccatorū, vt qui est in tali vitio sentiat sibi cor trāsfigi, & quasi Cōcionatorē diuinare suā conscientia, Ob id cōparatur luci, quia detegit latentes veritates, & tenebras pellit;

Reprehensio longe debet esse ab arrogantia.

Libro 24. Mor. c. 9.

Prou. 14.

I. ad Cor. I.

Exemplum Pauli in blanda reprehensione.

Reprehensio neminē prodatur.



pellit; itemq; sali, quia sua prudentia condire debet animas, & à putredine præseruare. Ad id autem bene præstandum, necessaria est diuina gratia, quam Deus non negat petentibus, & humilibus. Non decet temerè arguere Superiores, aut Magistratus publicè, aut Prælatos, sicuti supra ex Concilijs & Pontificum decretis significatum est. Experientia enim patet, eum, qui sic arguitur indignari magis quam corrigi, & populum incitari ad obtrectandum ijs, quorum vitia publice notari audit. Nihil enim delectat aliquando magis populum, quam cum Concionator contra Superiores exclamat, sed nulla in re minus debet ei satisfieri, quia ea ratione nec adhibetur remedium malo, si quod inest in Superiore, & ipsi populo datur materia, & licentia obloquendi. Nec facile Concionator credat suo spiritui si dicet sibi, verbum Dei nõ esse alligatum, cumq; libertate loquendum. Lubricus hic locus est, & facilis error, præsertim si aliud vir grauis quispiam, aut moderatores ipsius, sentiant, quorum iudicio sine dubio magis quam suo standum sibi esse, certum ac plane persuasum habeat necesse est. Neq; hic obijcias ex Paulo, Peccatorem coram omnibus argue, vt & cæteri timorem habeat. Nam non de publica reprehensione quæ fit ex suggestu loquitur, sed de alia vel iudiciali, vel alio modo ad superiorem spectante, neque asseras Chrysostrum contra Eudoxiam publicè loquentem, & Nazianzenum in Iulianum Apostatam, nam possunt quidem, talia incidere tempora, nempe si quispiam Princeps hæreticus auerteret à fide homines, & similia, vt non solum libertatem dicendi in Concionante excusarent, sed omnino requirerent, etiam si obijciendum esset caput in certum discrimen. Sed quæ talia tempora sint, sæpè consilio indiget Superiorum Christiana modestia præditorum, nec suo fidat iudicio penitus Concionator in re graui. Ipsa quoque priuata æqualium correctio cum lenitate, submissione, ac discretione, cum est spes emendationis faciendæ est, quanto magis publica & Superiorum. Paulus, seniores, inquit, ne increpaueris, sed obsecra vt Patres. Et omnium aliorum correctio, item si sit immoderata non sanat, sed ferit magis, imò non arbitror conducere inuehi in vitia Prælatorum, in loco vbi non est nisi illius Ecclesiæ Prælatas, quia solus ille cum scandalo populi videtur notari. Caiet. asserit nunquam Christum contra Sacerdotes, aut Pontifices inuectum, vt doceret Concionatores, ne & ipsi contra hos agant, ob reuerentiam digni.

Superiores
non temerè à
Concionato
re arguendi.

1. Tim. 5.

1. Tim. 5.

In c. 23.
Matt. init.

dignitatis. Paulus etiam in Act. cum ei diceretur: Summum
 Sacerdotem maledicis? respondit, nesciebam fratres, quia
 Princeps est Sacerdotum, scriptum est enim: Principem po-
 puli tui non maledices. Cum occasio fert optimus modus
 admonendi Prælatum, est afferre aliquam historiam, vel sen-
 tentiam ex sacris literis, vel Ecclesiasticis chronicis, &
 commendare, ac referre virtutes alicuius Sancti, quæ ad rem
 faciunt. Hæc enim commendatio, est honorata reprehensio
 eius, in quo virtutes illæ desiderantur, etiam si contra præ-
 sentes non inuehatur oratio. Neque etiam videtur vile,
 coram secularibus in vitia Ecclesiasticorum, ac Religioso-
 rum inuehi. Facile enim fiet, vt sacer ordo aliquid de sua
 dignitate deperdat cum publico detrimento. Quippe in
 commune cædit damnum, imminutio auctoritatis eorum,
 per quos edocendi, regendiq; sunt cæteri. Laudabile est in
 reprehendendo artificium, vt ipsum vitium describatur, &
 quod vitiose fit ante oculos proponatur; nec in quempiam
 intendatur increpatio, nam ipsius tantum vitij, accurata
 commemoratio, est luculenta accusatio, statim enim reos,
 conscientia mordet, ruborq; confundit. Item si quis con-
 trariam virtutem celebret, atque magnificet, & magno di-
 gnæ honore omnibus ostendat, Tunc scilicet, qui ea sunt
 destituti, & contrario vitio se infectos agnoscunt, nisi pla-
 nè obdurerint pudore suffunduntur; sic coram castitate
 magnificè oratione celebrata, confunditur animus lasciuus,
 & coram descriptione liberalitatis animus avarus. Præter
 hæc si historia, vel exemplum proponatur alicuius scelesti,
 vel contra, viri in aliqua virtute eximij, & ea aptè expli-
 cetur, erit aptus quidam, & argutus arguendi modus, etiam
 si ad eos qui adstant nihil præterea dicatur. Illud etiam
 hoc loco admonendum videtur non conducere, vt no-retur.
 Ciuitas tota, in qua Conciones habentur alicuius vitij con-
 querendo, tot concubinarios ibi abundare, vel quid simile,
 hoc enim præterquam quod Ciuitati est ingratum, minus
 etiam valet ad correctionem. Non enim valde erubescit,
 qui multos se habere socios in ea nequitia publicè audit.
 Nec vacat errore, (quod non semel audiui) per enumera-
 tionem referri, multos ex sacris literis tali peccato inqui-
 natos, nam qui habet conscientiam eius criminis ream,
 cogitat nihil esse mirum si, & ipse in eo delicto sit, in
 quo

Act. 23.

Superiores
 admonendi
 prudentia
 qualis.

Optimum ar-
 tificium in
 arguendis Ec-
 clesiasticis

Ciuitas tota
 non est no-
 tãda facile.

quo audit plures viros sanctos fuisse. Eadem cautela seruanda est tempore Bacchanalium, vel simili, ne audiat populus à Concionatore, tam multos sese dedere delicijs vel luxuriæ. Videtur enim hoc occasionem præbere modestis iuuenibus, vt putent sibi quoque licere eo tempore liberius viuere quandoquidem audiunt cæteros eandem sibi vsurpare licentiam. Ad hanc etiam reprehendendi prudentiam attinet, vt vitia grauiora vehementius, minora leniori spiritu arguantur. Nam qui leues culpas tragicis clamoribus insectatur quid faciet in magnis? Numquam tamen extenuari debent, quantumuis leues, ne quis non esse fugiendos sibi persuadeat. Cæterum sicut leuia non supra modum arguere oportet, ita grauia non nisi grauitè, magnoq; cum spiritu castiganda sunt, significando magnum peccati odium, & malitiæ peruersitatem detestandam, cum magna vi adhibendo clamorem contenta voce, cum quis à natura firmis lateribus iuuatur; per exclamationes admirationem, repetitionem eiusdem vocis & orationis, &c.

Grauia criminalia, grauitè arguenda.

Lib. 2. in lib. Reg. c. 3.

Lib. 4. Moral. c. 9. Prou. 24. Matth. 3.

Reprehensio debet cum grauitate fieri.

Ita Gregor. qui proiecto Dei timore, ait in sceleribus obstinati sunt leuiori increpatione arguendi non sunt, ne leue pondus peccati esse putent, in quo corruunt dum graue eis non sonat, quod ex auctoritate prædicatur.] Et alibi solent (ait) prædicatores iusti auditores suos obiurgando corripere, solent in eorum vitijs districta increpatione seruire. Vnde scriptum est: Verba sapientum quasi stimuli, & quasi clauis in altum defixi. An Ioannis verba clauis non erant cum dicebat, progenies viperarum quis vobis demonstrauit fugere ab ira ventura? An verba Stephani clauis non erant, cum dicebat vos semper Spiritui sancto resistitis, an verba Pauli, clauis non erant cum diceret, ò insensati Galatæ, quis vos fascinauit?]

Curandum item ne arguendo describantur lepide ipsa vitia, ne populus magis ad venustatem arguentis attendat, quam peccati odium concipiat; quod ego animaduerti vsu venire cum mulierum fucus, & pigmenta, & alia similia cum quodam lepore haud sine pigmentis, & fucis verborum flagellantur. Modus ille, reprehensionis aculeum, ita orationis eneruat, vt potius ea dicta videantur vrbauitatis causa, quam castigationis. Eodem modo animaduerti quosdam cum clamandum, & quasi tonandum esset,

effect, verbis vti bene compositis & selectis, numerosa dispositione contextis, vt qui audiunt non tam rei atrocitatem attendant quam orationis compositionem ac stylum, non zelum corrigentis, sed declamantis ingenium.

Denique reprehensio ita debet habere acrimoniam contra vitia, vt tamen appareat paterna erga Auditores benignitas, ne videatur Concionator arrogantior, & exercere dominatum in Auditores velle, & vt loquitur Isidorus: ne vnde emendare populos poterat, inde potius vulneret; sed ita obiurgat vt dicere cum Paulo possit, Non quia do-
 minamur fidei vestrae, sed adiutores sumus gaudij vestri.
 Induat Pauli viscera qui modo filiolos appellat, quos iterum ait parturio, modo testatur se eos diligere in visceribus Iesu Christi. Chrysostr. Sacerdotis tantum est arguere, liberamque praestare admonitionem non mouere arma, non clypeos vsurpare, non vibrare lanceam, non arcum tendere non iacula mittere. Ab Augustino, Correctio dicitur medicinalis vindicta, terribilis lenitas & charitas seu-
 ritatis.] Greg. Equos, inquit, indomitos blanda prius manu tangimus, & eos nobis plenius postmodum etiam per flagella subiugamus, & amaro pigmentorum poculo mel-
 lis dulcedo adiungitur; vt ea quae saluti profutura est in ipso gustu aspera amaritudo non sentiat, vt dum gustus per dulcedinem fallitur humor mortiferus per amaritudinem euacuetur.] In arca erant simul & virga, & manna, sic in Concionatore virga correctionis, & manna mansuetudinis & charitatis. Idem Gregorius. Ipsa increpatio sanctorum, natura grandinis conuenienter exprimitur, grando enim veniens percutit, liquata rigat, Sancti autem viri corda audientium, & terrentes feriunt, & blandientes infundunt, feriunt dum virtutem terribilium Domini dicunt, & magnitudinem eius narrant: blandientes rigant quando memoriam suauitatis Dei eruciant.] Et vult eam maturitatem increpationibus adhibendam, vt ipsa quoque sacerdotalis indignatio virtute sit admixta dulcedinis, quatenus & tunc a subditis amari debeat, etiam cum grauius timetur.] Certissima est sententia meo iudicio, nihil ita conferre ad hoc, vt qui audit persuadeatur ad recipiendum quae dicuntur, atque si cognoscat quod cum magna dilectione dicuntur. Quod tunc maxime ser-

Reprehensio fiat cum charitatis significatione, ac lenitate.

Lib. 3. de sum. bon. e. 4.

2. Cor. 5.

Ho. 4. sup. 1. cap. 1. / ai.

Lib. 3. contra literas Petilianae cap. 4.

3. par. Past. adm. 18.

29. Mor. c.

11. vide

etiam 24.

Mor. c. 9.

Lib. 3. ep. 1.

uandum est cum quis nouus incipit habere conciones, in aliquo loco, non enim debet statim rigidas correptiones adhibere, quousque auctoritatem aliquam sibi comparauerit.

Hom. 3. in act. circa finem.

Hac modestia utitur Chrysostomus, cum ita docet: Non quoties aliquid contra auaritiam dicimus, contra vos loquimur, imò nec contra vllum profusus. Vtinam contingat, vt remedia frustra sint parata à nobis, talia sunt medicorum vota nil aliud postulantium, nisi vt post multum laboris profusus abijciantur pharmaca, sic nos optamus, vt verba nostra profusus in aere dicantur; & verba tantum sint. Equidem omnia promptè sustinuerò, vt non sit opus hæc dicere, & si vultis tacebimus, tantum vt silentium careat periculo; optimi Medici sunt, qui licet morbus ægrotantium ipsis lucrum afferat, cupiunt tamen suos amicos vti prospera valetudine, & nos cupimus omnes bene valere.

Hom. 15.

Cæsarius Episcopus Arelatensis, Quotiescumque ait, fratres carissimi, tam pro vestra, quam pro mea salute, necesse est aliqua dura, & aspera predicare, considerantes periculum meum, debetis hoc æquanimiter, & patienter accipere, quia prædicatio aspera ægrotis medicamenta prouidet, sanis ornamenta componit, vtitur exemplo Medicorum, qui aliquando ferramentis vtuntur & cauterijs, & infirmi desiderio sanitatis patienter excipiunt. Diuus Basilus interrogatus, qua animi affectione vti debeat qui increpat, respondit, quod ad Deum attinet, eo animi affectu quo David, Vidi præuaricantes, & tabescebam, quia mandata tua non custodierunt, quod ad eos qui increpantur eiusmodi quali vteretur Pater, & Medicus cum misericordia, & lenitate, si filium suum curaret, maxime cum adesset dolor, & sine cruciatu adhiberi curatio non posset, & alibi docet imitandam esse Medicorum consuetudinem, vt videlicet egris non irascamur, sed contra morbum ipsum pugnemus, in eoq; impugnando, duriore victus ratione, si ita res postulat animi vitia sanemus.]

Psal. 118.

Non prædicet viam laxiorem, potius terreat quam blandiri
 studeat. Cap. XXXVIII.

Concionatores cauere debent, ne viam cæli, nimis fa-
 cilem esse profiteantur, & ita dilatent phylacteria in-
 Dei misericordia prædicanda, vt diminuunt diuinæ iustitiæ
 timorem. Non igitur insusurrent auribus verba quædam
 adulatoria, qualia poscebant qui apud Isaiam dicebant,
 Loquimini nobis placentia, nec ferebant minas Prophetarum. *Isai. 30.*
 quos ex Christi sententia, & lapidabant, & occidebant.
 Non desunt hodieq; nonnulli Concionatorum, qui omnia
 facilia prædicant, & quod longè peius est, inuehantur in
 eos, qui contra peccata sæpè clamant, timorem incutiunt,
 & pericula inferni proponunt, rigorem diuini iudicij, ac
 mortis describunt: & tamen contra pseudopphetas, qui
 secura, & dulcia concinebant sæpè, Deus acriter inuehi-
 tur, per Hieremiam, queritur quod non aperuissent populo
 iniquitatem suam, vt eos ad penitentiam prouocarent. *Thren. 2.*
 Isai. Popule meus (ait Deus ipse) qui te beatum dicunt ipsi *Isai. 30.*
 te decipiunt, & Hierem. Nolite credere pseudopphetis,
 qui dicunt pax, pax, & non est pax. Michæas: Hæc dicit *Mich. 3.*
 Dominus super prophetas qui seducunt populum meum, &
 prædicant pacem. Ezechiel: Væ qui consuunt puluillos sub *Ezech. 13.*
 omni cubito manus, & faciunt ceruicalia ad capiendas ani-
 mas. In quæ verba Origenes docet in eum hæc dici, qui vt *Hom. 3. in*
 placeat eis quibus aures pruriunt, loquitur quæ gratanter *c. 13. Ezech.*
 accipiunt, quæ vicina sunt voluptati, cum ea docet, quæ
 anrem populi mulceant, & strepitum potius laudatorum,
 quam gemitum moueant auditorum, qui ea dicit, quæ dele-
 cent potius, quam conuertant à vitijs, & hos nomine fi-
 liarum propheta vocat (quia inquit Origenes) effæminatæ
 sunt talium magistrorum animæ, ac voluntates, qui semper
 sonantia, semper canora componunt, & nihil virile, nihil
 forte, nihil Deo dignum est, in his qui iuxta gratiam, & vo-
 luntatem audientium prædicant.]

Rectè Hieronym. verba sapientum sunt quasi stimuli. Si *Eccl. 12.*
 cuius (ait) sermo non pungit, sed delectationem facit au-
 ditori non est sermo sapientis, verba quippe sapientum, vt
 stimuli, & subditur, quæ per magistrorum consilium data
 sunt

sunt à Pastore vno. Certè veri, & sancti Propheta, eorumque libri minis, ac terroribus pleni sunt, vt legentibus factis patet, & qui plusquam Propheta dicitur Ioan. Baptista, acriter in peccata inuehebatur, & gehennæ, ac diuinæ vltionis iudicium, grauiter inferebat, aded vt etiam capitis abscissione, mortem, ob hanc vnam causam oppeterit. Et omnium magister Doctorum Christus, non laxiorem viam prædicauit, cum diceret, Lata est porta & spatiosa via que ducit ad perditionem, & quam angusta est via que ducit in cælum. Et alibi: Contendite intrare per angustam portam. Et iterum: Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Certè Euangelium significat bonum nuncium, & tamen teste Chrysof. plura habet de supplicio, quam de Regno, cuius rei optimam ipse assignat causam, id natum esse ex Dei benignitate, qui enim, ait, volunt supplicium, infligere, non modo id aperiunt, sed cælant magis, ne si rescuerint, qui sunt puniendi caueant, sed contra omnino Deus, & prædicat & minatur, & terret, & nihil non facit, vt que minatur, non faciat.] Et paulò inferius in illa verba Psalmi, Parauit vasa mortis, paratum, ait, fuisse telum contra Niniuitas, non vt emitteretur, sed vt reponeretur quo intolerabiliora dicit, eo illa dicit maiori mansuetudine, minatur gehennam, ne mittat in gehennam.] Ergo & Concionator Deum imitari studeat in hac saluberrima mansuetudine, minetur & terreat, vt suos Auditores, hoc modo à grauissimis tormentis auertat. Illud etiam certum est Verbi diuini Satores vocari à Christo sal terra. Vbi idem Chrysof. hoc est, ait, opus salis; laxa quæque vrere, ac restringere, & Theophylact. Vos (inquit) estis sal terra mordentes, & condientes doctrina, ac reprehensionibus dissolutos, vt non pariant vermes perpetuos, propterea non abijciatis mordacitatem.] Mordere autem, vt supra diximus, debent vitia, hominibus parcere. D. Paulus gaudet, quod Corinthios ad tristitiam salutarem, & poenitentiam secundum Deum adduxisset. Causam verò quare aliqui Concionatorum, hunc modum teneant, vt populis placencia loquantur illam esse arbitror, nec omnino me fallit opinio, quod multitudines confertas in concionibus amant, & hunc quasi finem sibi constituunt, eisq; placere prurientibus gestuunt: qui planè intolerandus, & perniciosissimus error est,

Matth. 7.

In verba Pf.
7. Deus Iu-
dex iustus,
fortis, &c.

Hom. 15.

in Matt.

In cap. 5.

Matth.

2. Cor. 9.

Proprium hæ-
reticorū est
blandiri.

est, quo sese à Damone, suiq; amoris nimio affectu, illos significant, cum magis ad frequentiam auditorum, quam ad beneficium animarum attendentes, id potius ante oculos habent, vt curiosas aliquorum aures mulceant, quam Dei voluntati placeant. Hæc fuit occasio, quæ in Germaniam, & alia loca, multas hæreses innexit, nam multitudo malè ad vitam laxiorem prona libenter applaudit talibus, ad aurium suarum pruritus blandè concinentibus, qui dicunt (vt ipsorum satanicis vocibus vtar) cælum non esse factum pro brutis, sed pro hominibus, Christum pro nobis factisfecisse. Non quod intrat in os coquinare hominem, solam fidem iustificare, & alia huiusmodi, quæ à viris imprudentissimis vesanæ plebeculæ inculcata, totam Christianæ pietatis sinceritatem subuerterunt. Hieronym. docet proprium esse hæreticorum adulari, & eorum qui decipere cupiunt audientes, dicente Apostolo, huiusmodi, Christo Domino non seruiunt, sed suo ventri, & per dulces sermones, & benedictiones seducunt corda innocentium, semper infidiosa, blanda, & callida est adulatio, pulchrèq; apud Philosophos definitur, blandus inimicus.] Non ita planè cælestis tuba Paulus; cum ait, Si hominibus placerem Christi seruus non essem. Si verò eundem ipsum Paulum mihi obijcias alibi dicentem, Sicut & ego omnibus per omnia placeo ipsemet Paulus tibi respondet, cum continuo subdit, Non quærens quod mihi vtile est, sed quod multis, vt salui fiant. In quo ergo placebat Paulus nempe in eo quod non suum quærebat commodum, sed salutem aliorum seruebat. Sed eleganter hæc loca conciliat Augustinus, primò ille, ait, hominibus bene placet, qui non se illis placere vult, sed ipsam quam suadet veritatem. Secundo, qui placet hominibus, non iam ab hominibus gloriam quærens, sed Dei, vt salui fiant, non iam hominibus, sed Deo placet, aut certè cum & Deo, & simul hominibus placet, non vtique hominibus placet. Tertio, nulli prodest ad salutem, si homo alijs propter seipsum placet, quia non placet vtiliter, nisi cum propter Deum placet, scilicet vt Deus placeat, & glorificetur.]

Lib. 1. Di
log. contra
Pelagium.
Rom. 16.

Gal. 1.

1. Cor. 10.

In epist. ad
Gal. c. 1.

Per hæc tria pronuntiata optime quid sibi Paulus velit appareat. Itaque nulli, nisi proterno dubium esse poterit quid Deus in hac parte à suis præconibus exigat, quid sanctissimi
Pro-

Doctrina SS.
Patrum circa
hoc.

Propheta seruarint, quid nos Christus ipse docuerit, & verbis, & exemplo. Eandem autem omnino doctrinam sancti Patres, & nobis inculcant, & suis ad populos sermonibus obseruant egregie, subieciam aliquorum testimonia, id enim maxime curo, vt sanctissimorum virorum potius innitar auctoritati, quam de meo sensu loqui videar. Accipe hac de re, eloquentissimi & sapientissimi Chrysoctomi iudicium.

Chrysoct.
hom. 8. in
Act.

Hic, ait, omnia conuersa sunt, omnia sursum, deorsum confusa sunt, quia sicut in spectaculis, ita in Ecclesijs, multitudinem desideramus auditorum, & non multitudinem probatam. Et paulo inferius, Optarem sane, ait, vt multitudine ornatur Ecclesia, sed multitudine probata, si hoc fieri nequit, saltem vt pauci illi probati sint. Nonne melius est (ait idem) habere vnum lapidem pretiosum, quam mille obolos, nonne melius est habere paucos bonos filios, quam multos malos.]

Lib. 5. de
Sacerd. ini-
tuo.

Rursum egregie monet non loquendum populis ad voluptatem, neque ad prurimum aurium. Magno, inquit, opus est animo, vt quis multitudinem illam immoderatam, infructuosamq; voluptatem compescat, possitq; illorum audicionem, ad id quod vtilius est transferre, hac ratione, vt populum se sequentem, & obsecundantem habeat, non autem ipse a populi desiderijs agatur. Id quod prestare nemo potest, nisi idem simul, & popularem auram aspernetur, & simul dicendi vim obtineat. Lege si placet eundem in epist.

Hom. 2. in
epist. 2. ad
Thess.

2. ad Thessal. vbi docet quam saepe dicendum sit de gehenna, nihil enim tam vtile est, inquit, atque de gehenna sermocinari, quouis argento mundiores nobis animas facit.] Idem

Hom. 6. in
c. 2. ep. ad
Ephes.

Chrysoctom. cum acriter egisset contra peccata subiecit durus, & onerosus sermo. Noui & ego, verum si attenderimus non inutilis, neque enim ad gratiam mihi loquendum nunc est, imò numquam, sed semper ea dicenda, quae animam contrahere, castigareq; valeant. Bernar. Timeat, inquit, orationem tuam, qui admonitionem contempnit, cui tu Sacerdos irasceris, Deum sibi iratum non hominem putet. Cyprian.

Bern. lib.
4. de cōsid.
ad finem.
Cypr. ser.
de lapsis.

Oportet Dei Sacerdotem, non obsequijs decipientibus fallere, sed remedijs salutaribus prouidere. Impericus est Medicus, qui tumentes vulnerum sinus, manu parcente contrectat, & in altis recessibus viscerum, virus inclusum, dum seruat, exaggerat: aperiendum vulnus est & secandum, & putredinibus

bus amputatis, medela fortiore curandum, vociferetur & clamet licet, & conqueratur egens impatiens, per dolorem, gratias agat postmodum cum senserit sanitatem: emerfit enim, fratres dilectissimi, nouum genus cladis, & quasi parum persecutionis procella sauiert, accessit ad cumulum sub titulo misericordiae malum fallens, & blanda perniciēs.] Aug. in illud, Sicut tuba exalta vocem tuam. Scitis, ait, quod tuba, non tam oblectationis esse soleat quam terroris; non tam delectationē præferre, quam inferre formidinem. Tuba ergo peccatoribus necessaria est, quæ non solum aures eorum penetret, sed etiam corda concutiat, nec delectet cantu, sed castiget auditio. Et expresse affirmat Concionatores, numquam debere peccatoribus adulari, sed (quod ipse subdit) obiecta futura miseria, & grauitate peccatorum ad lachrymas perducere. Ambr. Tunc, ait, auditor proficit, cum austeriora annuntiat prædicator. Tunc ei salus gignitur quando tristitia emendationis ingeritur, nam quæ secundum Deum est, tristitia poenitentiam in salutem stabilem operatur.] Greg. Est magna omnipotentis Dei gratia, cum iniquè agentibus, durus à Doctoribus, sermo increpationis profertur; & idem comparat prædicatorem, spinæ, quia dum de peccatis & de virtutibus differit, & modo eterna supplicia minatur, modo cælestis regni gaudia promittit, corda audientium pungit, sicq; mentem, doloris compunctione perforat, vt ab eorum oculis, quasi quidam sanguis animæ lachrymæ decurrant.] Hiero. Ille, ait, est Doctor Ecclesiasticus, qui lachrymas, non risum mouet, qui corripit peccatores, qui nullum beatum, nullum dicit esse foelicem, nec præuenit naturam iudicij Dei, dicente Scriptura: Ne beatum dixeris quempiam hominem ante mortem.] Et in illud Isai. Argentum tuum versum est in scoriam, caupones tui miscent aquam vino. Omnis, ait, doctor; qui austeritatem Scripturæ per quam potest audientes corripere vertit ad gratiam, & ita loquitur, vt non corrigat, sed delectet audientes, vinum sanctorum Scripturarum violat.] Lege eundem in illud Malach. 2. Maledicam benedictionibus vestris. Et in illud Hierem. 6. Curabant contritionem filia: populi mei cum ignominia, dicentes, pax, pax, cum pax non esset: hoc, inquit, de sacerdotibus & Doctoribus intelligitur, qui diuicibus & magnis reprobis mittunt prospera, & clementem prædicant Deum magis illos supplicio & iracundiæ preparantes. Addamus sapientissimi Philonis sententiam: Pro concione, inquit, si dicendum

Aug. ser.
106. de tēp.

In Ps. 85.
Ambr. ser.
84.

Greg. hom.
in Euang.

Hieron. in
Tbr. c. 1.

Lib. de Io-
seph.

erit adulationes relinquam alijs, contentus verbis vtilibus; increpans, admonens, castigans, non arrogantem, insanamq; sed sobriam libertatem proferens, quod si quis tales castigationes non amat, reprehendat parentes, tutores, preceptores, & omnes curatores, quia suos liberos, pupillos, discipulos obiurgare non deserunt, interdum etiam verberant, nec tamen scire, sed amanter castigare dicuntur.] Et affert exemplum Medici, qui etiam erga Principes & Magnates sektionem, vitionem ubi opus est, vtitur modo seruet hominem: Ego (addit) qui non vnum virum curandum suscepi, sed integram ciuitatem laborantem morbis grauioribus, contractis ex innatis concupiscentijs quid agere debeo? num prodita vtilitate publica illius, aut illius aures mulcere adulatione illiberali? Emori prestat, quam loqui ad gratiam dissimulata veritate, & vtilitate neglecta.] Iam satis, superq; manifestum esse arbitror, quod sit Sanctorum, & sapientum virorum hac de re iudicium, sed

Naz. in oration. ad 150. Episc.

omittenda nullo modo est magni Nazianzeni preclara, & omnibus aduertenda obseruatio, qui ex nimia Doctorum indulgentia factum affirmat, vt populi adeo fastidiosas & delicatas aures habeant, vt non Sacerdotes, & Praesides, sed Rhetores quaerant, sic (inquit) eos erudiimus, qui omnibus omnia efficitur, haud scio, vt omnes seruemus, an vt perdamus.] Similia ceteris Patribus Aug. cuius verba afferrem, nisi viderer esse longior in re tam certa, sed obsecro lector vt legat ser. 67. de temp. Haecenus de hoc dictum sit. Neque tamen haec a me dicuntur, quasi velim Concionatorem esse nimis rigidum, & semper inferni poenas, ac diuini iudicij rigorem in clamare; imo verò, saepe iudico eum ad amorem Dei ad diuinam misericordiam, ad aeterna praemia, debere orationem conuertere, praefertim verò, cum in sublimi dicendi genere, vehementes affectus excitauit, recurrentum est ei ad lenes commouendos, volui tamen copiose locum hunc Patrum auctoritate confirmare, quia aduerto, hac tepestate plurimos ex Christianis Oratoribus hac nobilissima doctrina indigere. Video enim plerosq; ad gratiam, & ad delectationem verba componere; ideoq; non mirandum est, si multis Concionibus, & multorum numero Oratorum in paucis appareat morum, vitaeq; in melius commutatio.

Quibus titulis appellandi Auditores.

Placet hoc postremo loco addere dictis, non contemnendam appendicem. Perfimilem esse adulationi, cum auditorum laudes Concionator exaggerat, & magnos ei titulos tribuit quamuis modeste aliquas virtutes, & prudenter commemora-

re ex

re ex occasione nata, licitum arbitror, atque adeo utile, omnis tamen assentandi, vel minima est fugienda suspicio. Nec probo si crebro suos Auditores appellet Dominos, vel Dominas etiam si tales non desint, quia communem populi multitudinem videtur parui facere, cum tamen, huius maior sit pars; præterquam quod nescio quid vanitatis in ea repetitione significatur, quare satius, fore putarem, si eos, vt communiter Apostoli vocant Fratres, & Christianos, & Charissimos, ac dilectos appellet.

In via Illuminativa Progressus, & Virtutes inculcanda.
Cap. XXXIX.

Non existimet se ritè suo munere functum, Christi legatus, si id solum curet, vt à scelere peccatores deterreat; sed intelligat, sibi acriter enitendum esse, vt conuersos ad Deum, in spiritali vita, vltèrius prouehat. D. Bas. docet munus esse Prædicatoris, vt quos conuertit meliores efficiat. D. Paulus distinguit duplex doctrinæ genus, Alterum vocat elementa exordij sermonum Dei, & comparat lacti puerorum cuiusmodi est doctrina de pœnitentia, de peccati turpitudine. Alterum vocat sermonem Iustitiæ, cum agitur (vt ait Caiet.) de progressu in via Dei iam cœpta, vel vt Ansel. exponit. de perfectione, & quidem sicut paruulis oportet lac prouidere, ita ætate prouectis cibus solidus dandus est, vt crescant, & sicut magni est momenti, peccatores mouere, vt à peccato abstrahantur; Ita ad Dei gloriam, ad Ecclesiæ ædificationem, ad animarum beneficium res est magni ponderis, vt à voluptatibus auulsi proficiant, hoc autem munus ad concionatorem maxime pertinet, sicut enim in naturalibus à pueritia ad iuuentutem fit progressus; ab hac ad maturiorem ætatem. Ita gratia illud sibi propositum habet, quod de Christo scriptum est, proficiebat ætate, gratia, & sapientia. & sicut in disciplinis, qui docent à primis rudimentis ad grauiores Scientias, discipulos promouere student. Ita doctorem Ecclesiasticum, & populi Christiani magistrum oportet idem omnino præstare; vt lac incipientibus præbeat, solidiorem cibum prouidentibus exhibeat: lege Chrystost. qui copiose probat ad consequendum regnum cælorum non satis esse à malitia liberari non retrocedendo, contra Deum, sed opus esse multo virtutum lucro, ac prouentu, & affert ad hoc multa similia, de brauio

Prudentia in via Illuminativa. Lib. Mor. sent. defin. 70.

Heb. c. 5. & 6.

Ad progressum prouocandi homines.

Ser. de vir. & vit. 10. 3

nio, de famulo, cui non est satis ut non furetur, non inebrietur, nisi etiam diligenter Dño ministret, sic debet agricola, vineam excolere, & inter mēbra, verbi gratia, manus, non solum nihil mali alijs inferre membris, sed omnibus pro sua parte inservire debet. Cæterum naturalis hominum conditio ea est, ut stimulis vrgeri debeant cum ipsa natura depravata sit, & hominum sensus in malum proni, gratia vero etsi satis proponit alliciat, mouet, non tamen ea sola ad persuadendum vratur Deus, sed etiam hominum ministerio. Itaque qui ad hoc vocati sunt munus, viam virtutis ingredientibus, quasi calcaria, adhibere debent; Nec enim (inquit Nazianz.) ad augendum animi robur leue momentum ijs affert oratio, qua ad virtutis stadium accinguntur. Ad hunc autem profectum, poterit aliquando generatim, adhortari suos auditores ex his, aut similibus locis. Primus est virtutis ipsius splendor, & honestas maior. Secundo gratia diuina natura, qua ad instar solis suam solet semper lucem augere, & calorem iuxta illud. Iustorum semita, quasi lux splendens crescit vsque ad perfectum diem. Tertio gaudium quod Angeli, & beati ex hoc ipso recipiunt, ut docet Bern. sicut enim gaudent de peccatore penitentiam agente, ita de proficiente magis.

In laud. S. Cypr.

Loci qui valent ad progressum suadendum.

Prou. 4. Serm. 2. in vig. Nat. Domini.

Epist. ad Demet. 8.

Eccl. 24.

Matth. 5.

Philip. 3.

Quarto ea est hominum conditio, & natura, ut ad maiora inclinet semper, & numquam contenta acceptis, spe alitur continente, & secunda præteritorum inhiat futuris. Hieronym. ex terrenorum bonorum cupiditate vrget, qua semper ad maiora impellitur animus multorum, & a fortiori, in spiritualibus fieri debere docet. Si homines in omni arte, non solum primordia, sed etiam augmentum, atque adeo perfectionem assequi conantur, cur non magis, in hac vita spirituali professione, qua de ipsa hominis Christiani perfectione agit? ut possit noster Orator cum Paulo dicere, Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro. Quinto ipsemet Deus hoc nobis bonum maxime optat, ut ex scripturis apparet Hieronym. affert verba Ecclesiastici. Qui edunt me adhuc esurient, & qui bibunt me adhuc sitient, vnde colligit in hac vita, semper esse famem, & esuriam Iustitiæ non autem satietatem; & affert illud Christi; Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam huc etiam refert quatuor animalium apud Ezechielem progressum, sine regressu, & Paul. qua retro sunt obliuiscens ad anteriora me extendo. Sexto exemplum Christi, qui ad maiora semper nobis conferenda beneficia, progressus est, & plures, ac maiores

res labores subeundos vsque ad mortem. Septimo tot san-
 ctiorum exempla inter quos clamat Paulus, Charitas Christi
 urget nos. Octauo, quia hoc modo magnos nobis merito-
 rum thesauros, & præmiorum opes comparamus. Denique,
 Nono propter principium illud certissimum, doctrinamque Pa-
 trum, quod tanquam axioma celebratur, in via Dei non pro-
 gredi, perinde esse, ac retrogredi, & eum qui non proficit, de-
 ficere. Verba sunt Bern. alludentis ad schalam Iacob, nec stan-
 tem legi Angelum, nec sedentem, aut ascendas necesse est, aut
 descendas si attentas stare ruas necesse est, & subdit, minimè
 bonus est, qui melior esse non vult, & ubi incipis nolle fieri
 melior, ibi etiam desinis esse bonus. Theodorus. Abbas
 affert similitudinem nauiculæ, quæ contra impetum flumi-
 nis nauigat, quam necesse est, remorum impulsione, ac vir-
 tute brachiorum ad superiora impellere, aut remissis mani-
 bus in præceps pronò amne reuocari. Lege Aug. in Psal. 69.
 Secundo præter eas materias quas in via purgatiua diximus
 quæ etiam huic viæ conuenire possunt, qua parte, magis ani-
 mos præmuniunt ne in culpas easdem relabantur, huius viæ
 magis propria sunt. Mysteria Incarnationis, ac Passionis
 Christi, crebro in memoriã reuocanda.

Ipsè Christus debet esse panis quotidianus, Paulus palam
 testatur se prædicare Christum, & nihil aliud scire nisi Christum;
 Validius autem hæc mysteria mouent auditores, si distincte
 cum suis adiunctis, quam si generaliter solum proponantur.
 Sæpè etiam hic sermo futurus est, de Dei prouidètia in iustos,
 misericordia, iustitia, longanimitate, de eius in nos singulari
 amore, de innumeris erga nos collatis beneficijs, deque eius
 perfectionibus, vt ad illius amorem, & obedientiam homi-
 nes incitentur. Hortandi sunt sæpè omnes tum ad frequen-
 tem vsum sacramentorum, idque cum reuerentia, & mentis
 deuotæ affectu, Tum ad vsum orationis, quæ voce fit, & Me-
 ditationum, Ad ieiunia, & aliquas corporis afflictationes.
 loquatur sapius de laudibus continentia, & castitatis in om-
 ni statu, vt ad eam virtutem omnes inflammet, sicut Dæmon
 ad turpia infligat, & naturæ corruptæ peruersitas, & pessimè
 consuetudinis exempla trahunt. De omni genere virtutum,
 oratori nostro agendum erit quas alibi summatim enumera-
 uimus. Præmia, & pœnas quasi duo calcaria, quæ ex vtroque
 latere vrgeant, frequenter admoueat. Præcepta Dei singul-
 latim commendare, & diligenter enucleare studeat. Ad con-
 cor-

2-Cor. 5.

Epif. 253.
ad Abb. Ga-
rinum.

Coll. 6. c. 14
Cass.

Materiæ ad
viam illumi-
natiuam per-
tinentes.

He. 10. 25

ad Rom. 12

cordiam, & consensionem mutuam, & fraternam charitatem, recurat etiam contra dissidia, & mutua odia, quæ facile oboriri solent. Beatissimæ Virginis peculiarem reuerentiam, ac deuotionem inculcet, afferendo, quæ ad eius cultum valeant, quo in genere exempla plurimum valent. Vtile admodum erit ad erudiendos diuersos hominum status descendere, vt alibi à me dictum est. Multas adhuc inferius adijciemus admonitiones, quæ huic viæ sunt satis accommodatæ. In his verò, & alijs omnibus sigillatim, vsum, & praxim aperire oportet, vias adiumentaue in promptu habere, per quæ ad has virtutes peruenitur, & impedimenta tolluntur, nam Concionator, qui vniuersè tantum ad virtutes hortatur; nec indiuas earum rationes, aut praxim explicat: similis est (ait Plutarchus) his qui lucernam emungunt, oleum autem non apponunt. Signa autem proficientis ponit Epictetus: neminem reprehendere, neminem laudare, neminem accusare, nihil de se ipso prædicare, quasi aliquid sit, aliquid sciat, cum ab aliquo laudatur secum ipse deridet laudatorem, si reprehenditur non defendit se.

Sapius eadem de re loquendum. . . Cap. XL.

Tertio illud vero non probamus, quod aliqui faciunt, qui semel in anno de vna aliqua re loquuntur, neque de ea amplius verba faciunt, tanquam illo die, omnia dixerint, vel vnus ille sermo perfectè vitium correxerit, vel virtutem induxerit, cum tamen certum sit, illud, gutta cauat lapidem non bis, sed sæpè cadendo, sic nec medicus, vbi perseverat morbus vnico medicamento contentus est, qua similitudine vtitur Chrysofost. Illud in fine addens eadem dicere mihi non molestum, vobis autem tutum: Etenim medici eadem sæpè medicina vtuntur, & nos eadem vestris auribus instillare, in memoriã ducere non cessabimus. Certum est Sanctos Patres ad eandem malas consuetudines extirpandas, sapius orationem retulisse, crebro eandem pias, & Christianas actiones inculcasse. Si necessitatibus auditorum compatiatur, etiam sæpè repetita, videbuntur noua, & nouo spiritu, atque etiam cum gaudio repetentur Aug. Nonne (ait) accidere solet, cum loca quædã ampla, & pulchra, vel vrbiũ, vel agrorum, quæ iam nos sæpè videndo, sine aliqua voluptate præteribamus, ostendimus eis, qui nunquam viderunt, vt nostra delectatio in eorum nouitatis delectatione renouetur? & tãtò magis, quanto

*In Enchr.
cap. 72.*

*Ho. 50. in
Iob.*

*Exempla san-
ctorũ Patrũ.*

*Cap. 12. de
Cathec.
rud.*

quantò illi sunt amiciores, quia per amoris vinculum, in quantum in illis sumus, intantum, & nobis noua fiunt, quæ vetera fuerunt, & subdit August. si vicos Ciuitatis vsitatissimos cum benefica hilaritate transimus, quando alicui forte qui errando laborauerat, demonstramus viam, quanto alacrius, & cum gaudio maiore in doctrina saluari, etiam illa, quæ propter nos retexere non opus est perambulare debemus, cum animam miserandam, & erroribus sæculi fatigatam, per itinera pacis, ipso, qui nobis eam præstitit, iubente deducimus?] quam sæpe contra auaros quam sæpe contra prauam iurandi consuetudinem inuehitur Chrysofomus? Nec debet Concionatorem pudere, si eadem bis, terque ac crebrius repetat, si vrgeat, necessitas, cum, & Paulus, & Christus Dominus id fecerint; si non pudet auditores quæ dicta sunt non seruare, cur debet Orator erubescere si eadem dicat? neque debet esse molestum cum Paulo dicere. Eadem vobis scribere mihi quidem non pigrum, vobis necessarium, Egregie Chrysof. de eisdem rebus continuè commonefacere non dicentis, sed audientium est crimen, continuè indigentium disciplinæ præceptis, ex quo aduertimus animam nostram in hoc esse terræ dissimilem; terra namque semel accepto semine, mox profert fructum, neque indiget altera ratione in anima nostra non ita vsu venit, sed frequenter & summa cū diligentia in ea serendum est, vt semel saltem fructum afferat. iterum Chrysof. Non quiescimus (ait) quin eadem frequenter, & hortemur, & admoneamus: In sæculi certaminibus non oscitantes, & supinos, sed strenuos, & vltro se periculis obijcientes, vniuersi hortantur, & plaudunt spectatores, illos enim alios, ac si de eorum victoria penitus desperent taciti missos faciunt, hic de omnibus, etiam cadentibus, si voluerint, bene sperare licet] nec timendum ne nauseam faciat iterata admonitio, nam variam habet supellestem, & quodammodo infinitam, scriba diligens, & doctus in Regno Cælorum id est Euangelicus magister, ita vt possit de thesauro suo noua & vetera proferre & eadem nouis semper scripturæ locis, similitudinibus, exemplis exponere, nec deerint occasiones, quæ apte, & tempestiue, tractari res ostendant. Aliquando etiam digressionem vtili vteretur, ex ipsa temporis, locorum, & personarum occasione nata, nec timeat sibi vitio dari, quod vnam rem tractans ad aliam digrediat, satis enim opportunè loquitur Ecclesiastes, cum necessaria loquitur temporis, ac personis etiam si per digressiones id fiat, præsertim cum breues sunt, & non

Y y omni-

Occasiones
non
habentur

Ad Pbi-
lip. 3.
Hom. 5. ad
pop. Ant.

Hom. 13.
in Ioan.

Digressiones
quando cum
fructu fiunt.

omnino à proposito aliena. Planè satis ille fungitur officio suo, si videns animarum iacturam, quæ digna sunt correptione, & admonitione, opportunè, atque etiam importunè, vt Paulus ait, afferat: Qui sermones Sanctorum Patrum legerit animaduertet, hanc eos optimam regulam tenuisse, nec hominum quorundam minus spiritualium iudicia formidasse, qui non tam fructum in Concionibus spectant, vel animarum lucrum, quam aurium pruritus sectantur. Certè non oportet sapere plusquam oportet, A sanctis Patribus discamus quid sit verè & secundum

Occasiones
non præter
mittendæ.

Paret ad fu-
turam solen-
nitatem.

In publica
calamitate.

Prou. 9.

Lib. 3. con-

tra Epist.

Parm. c. 2.

Cap. 5.

Ezech. 33.

Tbo. 51. su-

per Matt.

Deum sapere, Illud hic admonendum postremò oratorem nostrum in mentem venit, vt pro nata occasione reuocet Auditoribus in memoriam aliquid faciendum, sicuti, cum proxima est aliqua celebrior solennitas præcedente hebdomada, ad futurum diem festum, deuote sanctèque celebrandum, eos pareret. Ad Sacramentum confessionis, & Sacrosanctæ Eucharistiæ, cæteraque Christianæ religionis pia opera. Quando aliqua populi Christiani, vel Ecclesiæ sanctæ vrget necessitas vt Deo per orationes negotium commendent. Cum aliqua grassatur publica calamitas, Inde sumat Concionator occasiõem, cum maiori spiritus fernore, vitia arguendi & peccatores ad salutarem penitentiam inducendi, & Sacramentorum frequentem vsum; Ita seruabit illud Spiritus Sancti optimum consiliũ; Da sapienti occasiõem & addetur ei sapientiã. Constat namq; experientia certa, facillimum esse eo tempore, animos quo uolueris trahere, præsertim si talis sit dicentis oratio, vt rei grauitas ob oculos exponatur, & præsens periculum ritè & cum affectu obijciatur; Cui rei etiam testimonium reddit August. Tunc ait aures humiles præbet emendanti sermoni, calamitas auditorum faciliusque in gemitus confitendi quàm in murmura resistendi afflicta corda compellit.] In Concil. Paris. hæc habentur cum prædicatores sine cessatione Populo Dei prædicare necesse sit, iuxta illud clama ne cesses, tunc maximè id præstandum quando ira Dei contra Populum meritis exigentibus grassari prospexerint, iuxta illud quod per Ezech. Dominus loquitur terra cum induxero super eos gladium Chrysof. ostendit doctrinam & consolationem sacerdotis semper opportunam esse maximè autem tempore persecutionis.

In Via

In Via vnitiva opera perfectionis docenda.

Cap. XXXXI.

Cum Christus Dominus, ac legislator noster in mundum adueniens, legem Evangelij prædicauerit, longè quacunque alia lege perfectiorem, & tanto nobiliorem non modo naturali, sed & Mosaica, quanto nobiliorem vt Paulus docet honorem habet Dominus seruo, Christus Mose: & partes concionatoris sint ex Christi mandato per mundum vniuersum prædicare Evangelium omni Creaturæ: Conciones Christianas nõ solum ad purgationem peccatorum tendere oportet, & inde ad illuminationem circa malos habitus expugnandos, & veterem hominem exuendum & induendum nouum qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis, sed etiam transcendere ad perfectionem Euangelicam, & tertiam viam, quæ vnitiva dicitur. Itaque debet Euangelicus doctor non solum præceptorum obseruationem, sed etiam consiliorum docere, & ad ea promouere animos, & ad perfectum mundi, & secularium rerum contemptum adducere. Primum quia hoc instrumento diuini verbi, ac prædicationis Euangelicæ vititur Deus ad excitanda multorum corda, vt sæculo, eiusque vanitatibus & amori renuncient, qua se totos cum maiori libertate ac perfectione Christi famulatui dedicent, vel in eo statu quem tenere possunt, etiam domi suæ, vt multæ Virgines, Clerici, Viduæ, etiam coniugati faciunt, vel in statu vitæ religiosæ longè præstantiori, & maioris meriti secundum se, quam sit vita communis. Quare concionator inter alias materias, quas cum Dei gloria, & fructu animarum tractare potest illa est inter præcipuas, vt ad mundi odium, & secularis vitæ contemptum inducantur aliqui iuuenes, ac puellæ & alij quos Deus elegit, vt illud verbum capiant de quo Christus dixit, non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est a patre meo. Sicut, & Paulus facit. De Virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus vt sim fidelis, Alligatus es vxori noli quærere vxorem. Quæ in re, duo erunt ex occasione tractanda, Primo mundi pericula, peruersæ consuetudines, peccata tam multa, & grauiâ, sollicitudines quibus anguntur homines huius sæculi, vel in emptione villæ, vel in bouum emptorum probatione, vel in vxore cum qua conuolant, quæ sunt tria maxima salutis æternæ impedimenta.

Y. y 2 à Chri-

Prudentia in
Via vnitiva.Cõsilia Chri
sti proponen
da in Cõcio
nibus.

Matt. 19.

I. Cor. 7.

Mundi Vani
tas, & peric.

à Christo in parabola quadam predicata, dominandi scilicet ambitio, quæ plures periculorum occasiones suggerit, & curarum quæ hominem à cœna Dei distrahunt, & lucrandi, ac pecuniarum cupiditas, quam Paulus radicem omnium malorum non dubitauit vocare, qualis est vita omnium, qui terrenis bonis inhiant, multis peccandi periculis exposita, emendo, vendendo contrahendo, semper inquieta, semper turbulenta, & tertio sollicitudo eorum, qui vxorem habent, siue eos intelligamus, qui voluptati operam nauant, quæ Platoni dicitur esca malorum, siue ad literam intelligamus statum eorum qui matrimonio sunt alligati, rectè quidem, ac licitè, sed innumeris familia curis, vxoris, liberorum ac rerum terrenarum molestijs expositi. Secundò ex altera parte religiosa vita quietem, & felicitatemque cum sese offert occasio tractabit, inter quam, & vitam conjugatorum, eam ponere potest differentiam quam Bern. statuit, quod Religiosi periculosum præsentis sæculi pelagus ponte transeunt, quod iter, & breuius, & facilius, & tutius est, At coniuges, Vado transmittunt, laboriosum profus, & periculosum ait Bern. habentes iter, & subdit valde enim difficile est, præsertim his diebus quibus malitia nimis inualuit inter vndas huiusmodi, voragine vitiorum & criminalium peccatorum foueas declinare] & Vniuersè si voluerit de statu Religiosa vita agere poterit attingere modo vtilitatem eorum, qui bene in eo versantur modo dignitatem, modo iucunditatem, quæ tria capita recenset Ecclesiasticus cap. 23. extremò Et agnoscent qui derelicti sunt quoniam nihil melius est quam timor Dei, & nihil dulcius quam respicere in mandatis Domini, gloria magna est sequi Deum. Eadem tractat noster Pater Hieronymus Platùs in libro de bono status Religiosi tanta copia vt ad finem Oratoris qui est persuadere non crediderim posse aut plura desiderari, aut efficacius doceri, ex quo volumine hauriat, si velit Concionator studiosus sibi idoneam in oportuna tempora supellectilem. Cæterum adhibenda est in huius generis disputationibus moderatio, ac prudentia, ne sermo molestus sit ijs qui matrimonio sunt coniuncti, deinde ne putetur velle à parentibus liberos abstrahere, & ad suam religionem perducere: solent enim aliquando ob hanc rem obmurmurare sæculares qui non spiritu Dei mouentur, sed mundi. Idcirco sic attemperanda est oratio, vt perfectionis Euangelicæ prædicatio, neuiquam suo loco omittatur & sermonum, quam minimè fieri potest, ansa præbeatur. Neque ob id tantum perfe-

Discrimè inter Religiosam, ac secularem vitam.
Serm. de 3. ord. Eccles.

Perfectionis opera tractanda sunt, verum etiam quia ipsamet Christiani hominis professio absolute perfectionem suam non solum inter religiosæ vitæ cultores, vt forte aliqui putant, sed etiam inter eos qui in matrimonio vitam agunt, & in sæculo sunt amplectitur, nam Primum multa præcepta sunt nobis, quæ perfectionem aliquam requirunt, vt est præceptum de diligendis inimicis, de tolerandis iniurijs, vt charitatem non amittamus, de confessione Dei etiam quando vsus incidit, mortem subeundo, Imò in omni præcepta quando causæ articulus venerit (ait August.) vt hæc conditio proponatur aut faciendum esse contra Dei præceptum, aut ex hac vita emigrandum ibi eligat Deo dilecto emori, quam offenso viuere.] Imò omnia præcepta vix seruare poterit homo, nisi seipsum vincat, suasque passiones edomet, quod sanè quis faciat sine studio perfectionis? Præterea ab omni peccato abstinere, iustificantem gratiã conseruare, nemo sine diligenti sui custodia, & propensionum suarum victoria poterit. Denique exercitatio Christianarum virtutum quas Euangelium nobis commendat perfectionem includit. Hanc doctrinam Sancti Patres ex ipsis Euangelij, ac noui Testamenti scripturis maximè tradiderunt, satis mihi erit duos proferre testes omni exceptione maiores Basilium, & Chrysostomum, Ille docet coniugatos, præter pauca quæ vitæ religiosæ sunt propria, vt est præsertim continentie votum, ad eadem Euangelica instituta teneri, ad quæ & Religiosi, & docet Christum in prædicando Euangelio, non ad Monachos locutum tantum, sed ad omnes etiã matrimonio illigatos imò addit eos qui in sæculo viuunt, eo maiori vigilantia opus habere ad salutem, vt qui sedem habeant inter hostes, inter peccatorum irritamenta, intra pugnae caueam conclusi. Chrysof. autem idem argumentum grauitè tractat, Fallis, inquit, te ipsum prorsus, ac decipis si aliud à secularibus aliud à monachis requiri putas] & eandem ponit differentiam quam Basilus, eadem inquit, ab vtrisque vitæ ratio requiritur, vna vtrisque pena pro iisdem culpis dabitur] vtrique nisi peculiaris aliqua circumstantia scandali, vel nouæ obligationis in regulis religiosi augeat culpam, vel sit peccatum etiam contra votum aut ex contemptu: Vide hanc doctrinam apud D. Tho. vbi bene docet exceptis his quæ diximus etiam lenius esse peccatum religiosi quam secularis. Probat autem Chryf. hanc veritatem ex multis locis, nam illud, qui irascitur fratri reus erit iudicio, omnes obligat, & nolite iurare, & cum Christus dixit, Væ

Perfectio, vite, omnibus Christianis est propria,

Tract. 51. in Ioan.

Serm. de abdic. rer.

Lib. 3. contra Vitup. vita monastica.

2. 2. q. 186. art. 10.

vobis qui ridetis, non addidit monachis, & multa similia. Hoc est planè (ait ibi Chrysoft.) quod orbem vniuersum euerit quod Monachis opus esse arbitramur, summa vitæ bene agendæ diligentia, cæteris licere negligenter viuere omnibus dicitur, contendite intrare per angustam portã, omnibus, qui vult venire post me abneget semetipsum, & tollat crucem suam, omnibus, estote perfecti sicut & Pater vester cælestis perfectus est, cum ergo ita sit, debet noster Concionator esse instructus ad docendum etiam hanc viam perfectionis, vt saepe Paulus facit in suis Epistolis cuiusmodi sunt quæ ad Col. habet Verbum

Col. 3.

1. Cor. 12.

Philipp. 1.

Christi habitat in vobis abundanter, vt probetis potiora. Et æmulamini charismata meliora, & ad Phil. ait, testis mihi est Deus quomodo cupiam omnes vobis in visceribus Iesu Christi, & hoc oro vt charitas vestra magis, ac magis abundet, in sciëntia, & in omni sensu, vt probetis potiora, vt sitis sancti, & sine offensa in diem Christi repleti fructu iustitiæ per Iesum Christum

Col. 1.

in gloriam, & laudem, & quod alibi posuimus ad Col. Docentes omnem hominem in omni sapientia, vt exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Iesu, Quasdam tamen materias singulares aliquorum, quæ ad gradum altissimæ contemplationis pertinent, & cuiusdam extraordinariæ virtutis altitudinem, non laboret concionator afferre in suis ad populum concionibus, cum sint res supra communem Dei prouidentiam, & sanctorum ordinariam perfectionem, quarum rerum populus non est facile capax.

Argumenta ad vitanda peccata venialia, & contra

Tepiditatem. Cap. XLII.

Subijciam hic etiam locos in quibus argumenta possit elicere orator noster vt persuadeat à peccatis venialibus quantum possumus abstinendum esse. Deinde alios ad expellendam ex animis Tepiditatem, hæc enim duo sunt quæ maximè vitæ spiritualis progressum, & perfectionem impediunt; Contra peccatum veniale. Primò potest declarari periculum incurrendi lætalia, nam ad hoc exitium viam aperiunt leuia, si paruifiant & parua semina ingentem educunt molem. Secundò peccatum veniale est verè peccatum, & animam maculat quæ licet gratiam non tollat, tamen turpe est ibi apparere maculatam animam vbi gratiæ nitor, & pulchritudo adest, sicut macula etiam leuis in veste pretiosa gemmis, auroque contexta multum dedecet,

Peccata Venialia vitanda.

ces, splendida etenim vestis vt loquitur Nazianzenus luculentiores sunt fordes. Et ingentem flammam perexigua quoque scintilla excitat, & viperæ semen homini sæpe exitium inuexit proinde cura, vt leuissimam quoque noxam effugias.] Tertio consideranda Dei liberalitas in dono gratiæ suæ, quam communiceat, ex hoc namque apparet tanto esse maiorem desidiã, non curantis has etiam leues maculas, quanto est maior Dei munificentia in dando; videtur enim hoc redundare in contemptum donatoris, ac doni. Quarto per hæc peccata venialia impeditur progressus gratiæ, ac virtutum vsus, quia feruor charitatis minuitur; ac tepescit, prudentiæ item ob incautam viuendi rationem, humilitatis dum nimium homo sibi confidit, diligentia ob acedia; multæ Dei inspirationes, & auxilia impediuntur, aperitur via ad multas têtationes hostium nostrorũ, debilitantur nostræ vires ad resistendum. Quinto Dei voluntas est proponenda prohibentis has culpas, quæ à nobis est magni facienda. Sexto Deus sæpe punit etiam has culpas, vt probat Basil. allatis multis ex scriptura exemplis, & purgatorium pro his culpis destinatum est. Septimo ostendenda cuiusuis peccati grauitas ex Doctrina Patrum maximè Augustini, qui docent nunquam licere peccatum vllum committere propter quodcũque bonum acquirendum, vel damnum vitandum. Octauo exempla Sanctorum etiam id persuadent. Lege Greg. in 2. Psal. penitentialem.

In Matt.
19.
In Sct. 13.

Serm. de
iudicio Dei.

Contra Tepi
ditatem loci.

Contra Tepiditatem verò faciunt hi loci. Primò tepiditatis turpitudine quàm bene describit Bernar. Est (inquit) inuenire homines pusillanimes & remissos deficientes sub onere, virga, & calcaribus indigentes, quorum remissa letitia, pusillanimitas est tristitia, quorum breuis & rara compunctio, animalis cogitatio, tepida conuersatio, quorum obedientia sine deuotione, sermo sine circumspectione, oratio sine cordis intentione, lectio sine ædificatione, quos vix gehennæ metus inhibet, vix pudor cohibet, vix frenat ratio, vix disciplina coercet, non tibi horum vita inferno appropinquare videtur? Secundò tepidus est iniuriusus gratiæ Dei, cuius est proprium ad vltiora mouere & ad perfectiora; Item Christi laboribus ac meritis, quæ ad progressum excitant, diuinis inspirationibus per quas Deus cor nostrum pulsat excitatque ad operandum; Rursum Sacramētis quæ negligenter suscipit, Verbo Dei cui tam male respondet, Sanctorum & Angelorum patrocinij. Tertio sunt tepidi, sæpe admonitionum incapaces, adeo vt Deus ex sententia Da-

Serm. 8. de
Accens.

- Coll. 4. e.* nielis Abbatis apud Cass. doctoribus præcipiat vt ab his tepidis admonendis, docendisque discedant ne semen doctrinæ diuinæ male pereat, & alijs vacent iuxta illud Hierem. Hæc dicit Dominus Nouate vobis Nouale, & nolite serere super spinas.
- Hier. 4.*
- Prou. 19.* Quartò affert secū tepiditas in spiritalibus soporē vt in Pro: dicitur & Dauid dormitauit (inquit) anima mea præ tedio, animū dicit nō corpus, quia teste Cassiano ab omni contēplatione virtutum, & intuitu spiritalium dormitat anima, quæ perturbationis huius telo fuerit sauciata: vnde etiam illud malum sequitur quod tepidi anima per mundi, & carnis desideria sese diffundit teste sapiente; In desiderijs est omnis ociosus. Quintò huic sopori annectitur quædam ariditas animæ, ac sterilitas dū diuinis destituitur consolationibus, vt in Prou. dicitur, propter frigus piger arare noluit, mendicabit igitur æstate, & non dabitur ei. Ac meritò hic status hominis tepidi dicitur sterilitas penuria, & fames. Sextò adde quod inanem fiduciam, & arrogantiam fouet tepiditas, dum sibi homo blanditur, quia non videt se in apertis peccatis esse, sed habet externam aliquam virtutum speciem, ideoque aliorum consilia non curat, estque periculum ne in statum duri cordis dilabatur, & fiat ruina magna. Ap. Dicis quia diues sum, & nullius egeo, & nescis quia miser es, & miserabilis, & nudus, & pauper & cæcus. Septimò magnum periculum est tepido ne fructum antea actæ vitæ perdat In Prou. qui mollis est, & dissolutus in opere suo, frater est suæ opera dissipantis. Octauò periculum ne à Deo abijciatur vt dicitur in Apo: vtinam calidus aut frigidus esses, sed quia tepidus es incipiam te euomere ex ore meo, est enim huiusmodi homo instar aquæ tepida, quæ Dei stomacho nauseam & vomitum parit.

Affectus Diuini Amoris excitandus. Cap. XLII.

1. Io. 4.

Perfectio Christiana quam in hac Via Vnitua docemur maxime, consistit in quadam coniunctione animæ cum Deo, hæc autem coniunctio per charitatem fit, vt dilectus Christi discipulus docet, dicens Deus charitas est, & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo, quæ charitas cum perfecta est, non solum impedimentum peccati mortalis omnino excludit, non solum à venialibus, & leuioribus culpis animam quantum fieri potest in hac vita liberat, & cōtra tepiditatis malum strenuè pugnat de quibus iam dictum est, sed etiam omnium virtutum

virtutum chorum sibi famulantem associat, prout diuinus docuit Paulus, charitas patiens est, benigna est, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Hinc necessario sequitur, concionatorem frequentem esse debere, vt ad Dei amorem Christianos inflammet. Cui rei hi loci deseruire poterunt; & alij quos ipse paratos habebit, vt inde argumenta eliciat, tanquam ignem ex filice ad fomitem; quem ante se habet humanorum pectorum accendendum. Cum autem tria sint in vniuersum, principia & causæ, quæ amorem valeant in nobis excitare, vt in materia de Affectibus dictum est, hæc in amando Deo, plurimum momenti & præcipuam habent efficacitatem, prima causa est ipsum amoris obiectum scilicet bonum, hoc enim est, quod omnia appetunt, secunda est similitudo aliqua inter personam, vel rem quæ representatur, & ipsum Amantem; Tertia cum quis ab alio se amari aduertit, est enim Amor amoris incitamentum sit ergo;

Primus locus, ex quo tanquam ex filice, amoris erga Deum ignem excutiamus, immensa atque adeo infinita Dei bonitas, omnem, omnium bonorum rationem, eminentissimè completens, & in infinitum excedens, sicut Moyse Deus ipse dixit petenti, vt faciem sibi suam ostenderet, Ego (ait) ostendam tibi omne bonum. Et quamuis in præsentis vitæ statu, à nobis clarè videri nequeat, intelligi tamen, & ex diuinis Scripturis ipsomet reuelante potest, & in operibus suis, eius pulchritudo & bonitas aliquo modo cognosci valet, Ob id rectè August. Bonum hoc (inquit) & bonum illud, tolle hoc, & tolle illud, & vide ipsum bonum si potes, ita Deum videbis non alio bono bonum, sed bonum omnis boni. Certè vox boni sicut & pulchri, nulli vt Deo, conuenire potest, neque Deo sicut alijs rebus à Deo creatis, tribuitur, sed vt à Dionysio Arcopagita effertur prædicetur Deus *ὑπεραδότης ὑπερβολότης, ὑπερυσότης*, super omnem & bonitatem, & pulchritudinè & essentiam, in excelso & eleuato folio, vt Isa. vidit, sedens. Atque vt hoc tale bonum, ad se vehementius humanum pectus attrahat, adiungendæ sunt omnes Dei perfectiones, Sapientia, Benignitas, Mansuetudo, Potentia, Aternitas, Infinitas, in quibus omnibus, ipsa effulget diuinæ bonitatis excelstitas, & pulcherrima effigies, sunt enim diuinæ perfectiones si benè explicentur, amoris Dei in nobis mirum in modum procreatrices, & nutrimentum, præfertim, si non solum ex vna parte Dei natura, quæ obiectum est amabilissimum, sed etiam ex altera Animæ nostræ conditio explicetur,

1. Cor. 13.

Primò Dei
Bonitas. 11

Ex. 33.

Isa. 6.

tur, quæ diuinitatis capax, & propter ipsius Dei Amorem, ac fruitionem, ab ipsomet authore Deo formata est, vt in nulla planè re, valeat cõquiescere, quam in ipso Deo, vltimo ac felicissimo fine. Huc etiam referri possunt quæ loco supra citato de Affectibus, dicebamus Dei Amorem, esse mensuram ac regulam ad quem omnium amorum, ratio ac moderatio reuocanda sit. Confirmari poterit hoc argumentum, quia Deus non solum est Bonum, & summum Bonum, sed omne Bonum; Ergo rectè inferre debemus, toto corde, tota anima, totis viribus diligendum esse, vt possimus cum Seraphico Francisco, identem repetere Deus meus, & omne bonum meum. Hic quadrat illud Augustini monitum. Quid per multa vagaris homuncio, quærendo bona animæ tuæ, quærendo & non inueniendo ama vnum bonum in quo sunt omnia bona & sufficit.

Secundò .
Similitudo in
ter Deum, &
Hominem .

Secundus locus sumatur à Similitudine quæ inter nos, ac Deum est maxima, cum de homine scriptum sit, faciamus hominem ad Imaginem & similitudinem nostram hoc est vt aliqui exponunt, Imaginem nobis simillimam, quãuis erudite Theologi Imaginem in naturalibus, similitudinem in supernaturalibus ponant. Cum igitur homo Imago quædam sit, intelligens viuens, amans, tamque Deo similis, quò nam eius tendat amor nisi ad eum cuius est imago? & ad eum conuersa, cum propheta repetat frequenter. Tibi dixit cor meum exquisiuit te facies mea, faciem tuam domine requiram.

Psal. 26.

Neque fuit Deo fatis, nos sibi tam similes effinxisse; Sed vt maior aliqua similitudo, magis adhuc nostrum erga se accenderet amorem, etiam seipsum nobis effecit similem, dum carnem nostrã, & animã assumpsit humanam, vt verè dicatur Deus homo, & Verbũ caro factum, iam rectè cum Bernardo illud licebit inferre, Non poterit me amplius contemnere, os de ossibus meis & caro de carne mea. Et hæc planè tanta, & tam noua tamque admiranda similitudo, ita vrgere potest charitatẽ nostram, vt cum Paulo sentiamus; Nihil esse omnino, tam arduum tamque difficile, quod nos à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu, separare queat. Videtur D. Paulus, tum de charitate, qua nos Deus prosequitur, tum de ea quam ei nos debemus, loqui, est etiam valde notandum quod addit (quæ est in Christo Iesu) ex hoc enim, quod filij sui personam nostrã humanitati communicauit, emittens eius erga nos eluxit charitas, tanquam in filios adoptionis, naturali eius filio configuratos, & in suo dilecto, dilectos, & Nostra, per hoc idem misterium, Charitas erga Deum ferri debet,

debet, ut per eandem vnigeniti sui, assumptam humanitatem, ad Deum totis viribus amandum, conuertamur, facti per hanc tam illustrem similitudinem, Christi domini fratres, ac ipsius Dei filij, ita ut etiam Gloriamur sicut Paulus loquitur in spe gloriæ filiorum Dei, facti hæredes Dei, cohæredes autem Christi.

Tertius locus erit Dei quo nos prosequitur amor, ut tanto amatori, pro nostris viribus respondeamus, cum Amor nulla meliori ratione, quam amore compensetur. Præsertim si amantis personam attendamus, & dilectionis quantitatem, atque etiam Hominis qui amatur indignitatem, sicut illis verbis D. Paulus significat Deus autem qui diues, est in Misericordia, ecce tibi altissimam amantis personam, propter nimiam charitatem suam, ecce amoris magnitudinem; cum essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo, ecce quam nos tanto amore indigni eramus; Ex hoc triplici capite, magnam vim, habet, argumentum, quo urgemur ad Deum redamandū, ut D. Io. concludit. Nos ergo diligamus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos & August. Si amare pigeat saltem redamare non pigeat.

Quartus locus sit Beneficiorum erga nos Collatio diuinorum, quæ tum magnitudine tum multitudine, à nobis quodammodo amorem extorquent, sunt enim beneficia, Amoris quasi aureæ Cathenæ quæ arctissimo vinculo nos Deo astringunt, Non est præsentis instituti, in his immorari, sed solummodo locum topicum, vnde ad amorem excitandum argumenta eruumus assignare. Quisque existimet, se esse illum seruum, quem Evangelica proponit parabola; oblatum domino suo, ut decem millium Talentorum quæ acceperat rationem redderet. Hæc certe talenta, quid sunt, nisi ipsa Dei beneficia, æstimatione maxima, & quid numerus decem millium, nisi ipsa eadem, multitudine innumera? Ad quinque millia pertinent quæ naturalia sunt & ab ipso, naturæ authore collata, In hoc enim naturæ ordine numerantur, Primò quod Deus hominem creando, se ipsum nobis in sua imagine dedit, semperque communicans ut prima causa, semperque influens ut primus motor, quoniam in ipso viuimus mouemur & sumus; Secundo quod totum hunc mundum homini est largitus eumque omnium rerū constituerit dominum; Tertio quod formauerit, & corpus & Animam rationis participem, quasi aureum anulum cum sua pretiosa gemma; Quarto multa sunt singulis & varia distributa donacula, tum animæ tum corporis præter cõmunia omnium;

Quin-

Tertio.
Amor Dei in
hominem.

1. Ioan. 4.
De Catech.
rud. c. 4.

Quarto.
Beneficia Dei
in nos.

Quintò nec defunt multa externa bona, vt opes, amici, Honores, &c. Sed præter hæc, alia quinque millia licebit enumerare longè his præstantiora, quæ supra naturam sunt, quæ vehementius amorem vrgent, sunt autem, Primò quod filij sui personam nobis Deus dederit ex quo beneficio licebit cum Paulo inferre, quomodo nõ cum illo omnia nobis donauit; Secundò quod formarit Ecclesiam, quæ est Mundus alter longè corporeo dignior. In qua ipsemet Christus inter septem Sacramenta presidet vt sol inter planetas; Tertiò quod in nobis hominem genuerit spiritualem, imagini filij sui conformem, multis gratiarum ornamentis, & virtutum donis locupletatum; Quartò quod singulis, singulares concessa sint gratiæ vt Paulus docet diuisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus, diuidens singulis prout vult, ad quod etiam pertinent tam multa auxilia specialia, quæ liberaliter largitur; Quintò quod promittat, æterna quædam præmia, & suæ diuinitatis fruitionem & mercedis futuræ ineffabilem gloriam. Vides ne tot tantisque beneficijs quātus amor debeat? ac si dicas, ex tam magna lignorum ardētū strue quantum incendium crescat? Quis ergo talē tantumque benefactorem non amet? audiamus Euseb. Emissemus, hæc breuiter referentem, intellige (ait) illius esse totum, cuius cælo te geris, cuius terræ gremio sustineris, cuius aere pasceris, & vitalis auræ participatione vegetaris, cuius luce ac famulo sole perfrueris, cuius tibi dies ad iucunditatem nox obsequitur ad quietem: Qui post tanta, seipsum tibi dedit, quando tam caro precio te redemit; Qui talia procurauit seruo, qualia parabit, victa peccati labe iam libero? qui tanta iacenti contulit, quāta conferet resurgenti?

Hom. 1. de Symbolo.

Quintò. Deus homo factus.

Cant. 2.

Sap. 7.

Quintò loco inter tot collata beneficia, debet nobis maximā amoris materiam suppeditare, ipsum Dei Verbū, homo factus, non modo ob ipsius doni singularitatem & excellentiam, nõ solum, ob rationem similitudinis, vt diximus, Sed etiam ob ipsius Christi domini pulchritudinem ac dignitatē, quæ meritissimè, amorē nostrum ad se totū attrahit; Huc facit illud in Canticis Dilectus meus candidus & rubicundus electus ex millibus candidus planè ob diuinitatē, cui congruit illud Sap. candor est lucis æternæ, & speculū sine macula, diuinæ maiestatis, & imago bonitatis illius, rubicundus autē ob assumptam humanitatem, & additur ibidem, & totus desiderabilis, in Hebræo habetur totus desideria, id est, quantus est nostra desideria nostros amores, ad sese reuocat. Certè si Deus ex immenso erga nos amore

amore dicit, Delitiæ meæ esse cum filiis hominû, quanto æquius homo dicat, Delitiæ meæ esse cum filio Dei?

Sextum locum, assignemus eiusdem Domini nostri, acerbissimæ passioni, in qua peculiariter, & maximè, tum Maiestas, ac bonitas Dei splendet, tum beneficia multiplicantur, & ardet amoris fornax. Est enim Christus in cruce pendens, perinde ut magnum quoddam & clarissimum speculum, in quod radij solis, diuinitatis incidentes, indeque ad nos tanquam conferti, conspiciunt; pertendentes, possunt magnum in nobis incendium charitatis accendere. Super omnia (inquit Bern.) te mihi reddidit amabilem bone Iesu, calix passionis, quem bibisti, opus redemptionis nostræ, hoc omnino, amorè nostrum, facile vendicat totum sibi, hoc inquam est, quod nostrâ deuotionè, & blandius allicit, & iustius exigit, & arctius stringit, & afficit vehemèntius.

Septimus locus erit, ab ipsa natura diuini amoris desumptus præsertim, si cum aliarum rerum amoribus conferatur: certa est experientia ac facili negotio, & comprobari, & intelligi potest, adiuncta conditione animæ nostræ, quæ ad Deum ordinata est, & diuinæ facta naturæ capax, Si quis amet, & persequatur Mundi honores, & gloriam, si opes ac prædia, si corporis, ac sensuum voluptates, si coronas, & imperia, si homines quoscunque diligat, non posse in eis pacem, & tranquillitatè, & cordis quietem inueniri, Afferunt potius huiusmodi amores perturbationû, & amaritudinis plurimum interdum satiant, numquã explet, cum contra Amoris Dei, ea sit natura, ut plurimum dulcedinis, ac suauitatis, multam afferat quietem, quod ille agnouit, qui dicebat, Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus sum, quemadmodum enim si ossa in humano corpore luxentur, numquam inuenire poterit homo requiem, quousque in suum restituantur locum, Ita cum amoris nostri locus Deus planè sit, solus ipse mentem explet, capacem enim, deitatis, omne quod Deo minus est, nequaquam implet.

Octauo loca scripturæ, quæ prouocant ad amorem hunc multa sunt, quæ non debent à Concionatore inconsideratè trãfiri, sed diligenter per singula verba expendi, cum duo ligna aptè inter se confricantur, solet ignis existere. Item sententiæ sanctorum Patrum mouere ad id possunt.

Nono exempla ex scripturis, ex historijs eorum qui egregia amoris in Deum testimonia reddiderunt, habemus quam plurima, & præcipuè Martyrum innumerabilium. Paulus, & Franciscus in Deum ex amore transformati sunt.

Decimo

Christi passio.

Ser. 5. in Cant.

7 Natura diuini Amoris.

Psal. 76.

8 Scripturæ verba.

9 Exempla sanctorum.

10
Modus dicē-
di qualis esse
debeat.

Decimo modus dicendi ad excitandum hunc affectum debet esse, vt accommodatus affectibus lenibus commouendis, qualia sunt colloquia spiritualia ad Deum, ad Christum in Cruce, ad animam suam, ad eum qui audit, compatiendo his, qui gustum Dei non habent. Orando Deum, vt excitet hunc ignem cum Augustino; O amor qui semper ardes, & nunquam extingueris, charitas Deus meus accende me.

Vnionem curet, ac pacem. Cap. XLIV.

Præter Dei amorem ad eandem viam pertinet, vt Concionator amoris proximorum cōsensionis, ac pacis amicissimū se ostendar, Deus præcepit, vt in ora vestimenti Pontificij, cum tintinabulis, essent malapunica opere polymito inserta ad significandum in prædicatione, quæ per tintinabula figuratur, interseri debere studium charitatis, quam optimè significant malapunica sub vno cortice multa grana complectentia. Pessimum esset in pulpito indignationem in aliquos præferre, aliquo signo aut verbo, & animum erga eos malè affectum, Quod si in re graui publicè notaretur, sanè pro scandali grauitate, & loci sanctitate, grauis peccati periculum esset. Quare debet bene sedatos habere affectus; Ideoque August, merito in Concionatore postulat conditiones verbi Dei, quod prædicat cui accommodat illud. Argentum igne examinatum probatum terræ purgatum septuplum. Maximè item cauere debet ne in concione velit sua ita venditare, aut auram popularem captare, vt aliquo modo notet aliquem prædicatorem, vel quempiā alium ex hoc enim dissidiorum semina oriuntur inter ipsos Concionatores, quod populus animaduertens facile in contrarias partes, ac studia scinditur, dum vnus vni, alter alteri adhæret istud autem non est officio fungi Angeli pacis, & pacem Evangelizare, sed diabolicum obire ministerium, & inde detrimentum referre, vnde oportet medicinam expectare. Hinc Paulus, noli inquit contendere verbis, ad nihil enim vtile est, nisi ad subuersionem audientium. Inde non probo, vt Concionator impugnet opinionem alterius nisi esset contra fidem, aut euidenter contra bonos mores, & in eo casu præstaret Prælatum monere, & superiorem, ad quem pertinet iudicare, quid facto opus sit. In his autem contentionibus, videtur illud. Prou. compleri vir pauper calumnians pauperem similis est imbri vehementi, in quo paratur egestas, nihil est, quod omnes fructus spirituales,

Exod. 39.

Trasci in pulpito valde malum.

Psal. 11.

1. Tim. 1.

Prou. 28.

les, ita subruat, & vt ille ait sternat fata lata bonumque labores, vt tales rixæ, ac æmulationes inter ipsos Concionatores. Quanto enim magis aliqui è populo videntur delectari huiusmodi litibus, tanto maius scandalum patiuntur, & offenduntur, & verbi Dei auctoritas deperit hoc autem egregium documentum egregie videtur mihi habere D. Iacobus (si quis ait) sapiens & disciplinatus est inter vos, ostendat ex bona conuersatione operationem suam in mansuetudine sapientiæ, quasi dicat si quis sapiens sibi sufficiens, ita videtur, vt ad doctorum cathedram audeat aspirare, viderit ipse ne arroganter suam iactet sapientiam, & vt mores ita compositos habeat, vt cum mansuetudine, ad omnes se gerat, & cathedram virtute sua ornet ne se alijs præferat, nam qui talis est, ait D. Paulus. Superbus est nihil sciens, sed languens circa quæstiones, & pugnas verborum, & idem ipse D. Iac. subdit, quod si zelum animarum habetis, & contentiones sint in cordibus vestris, nolite gloriari, & mendaces esse aduersus veritatem, quasi dicat si animos habetis amarulenta æmulatione vitiatos, si cor contentionibus, & pernicaci studio inuidiæ corruptum, cadite potius docendi munus. Ex inuidia, felicitatis alienæ indignatio, & contentio nascitur; fouentur autem sæpè hæc mala semina à quibusdam delatoribus, qui aures ipsorum Concinatorum percellunt, sed indignissimū est his præbere aures, & eorum delationibus moueri, sæpè virorum sine iudicio, & quod longè peius est etiam mulierum, Itaq; bonus Concinator, semper Deum ante se habeat, & sicut de se nunquam loqui deberet, ita de alijs Concinatoribus non loquatur nisi honorificè, sine affectatione, vel adulatione, & cum significatione sinceræ charitatis: delatoribus nunquam credit: Etiam cum ijs qui oderunt pacem, pacificus sit: Egregie notat B. P. Franciscus Xauerius ad prædicatorem quemdam è nostris scribens inter cetera cum Cœnobitis inquit Sacerdotibusq; omnibus facilitate, modestiaq; certabis, si qua forte offensio exorta fuerit, eorum siue iustam, siue iniustam iram, tua leniet demissio, quamuis tibi innoxius videaris. Illud etiam ad concordiam eorundem pertinet, vt omnium apud omnes bonæ existimationem, & pacem tueatur. Aliquando vidimus ex verbis Concinatoris natas occasiones dissidiorum, si enim acrius & sæpè inuehatur in artifices solent nobiles id arripere, & illis opprobrij loco obijcere, itè si nobiles incessat statim murmur vulgi suboritur eisdem indignantis, eadem occasio contingeret inter viros, & vxores inter superiores & subditos, inter famulos

Contentiones concinatorum scandalū patiuntur.

Locus Iacobi explicatus Iac. 3.

1. Tim. 6.

Ois discordiarum occasio fugienda.

los & dominos, Ecclesiasticos & laicos, ciues & externos, pau-
peres & diuites, de viris, & mulieribus, ita loquatur, vt si quan-
do mulieres reprehendit, non appareat eas à se contemni, vel
risum excitare ex eis, neque contra, vt adulari eis velle videat-
tur, & gratiam apud eas captare, neque etiam de virili ordine,
ita loquendum est, vt contumeliosè muliebri præferri iudice-
tur, Concionatoris maximè est fouere charitatem, & consensio-
nem inter omnes, & ita se gerere, vt nulli detur occasio oblo-
quendi, aut discordiarum, Omnes hortetur, vt inuicem se dili-
gant, se adiuuent, alter alterius onera portent, se mutuo am-
plectantur in vinculo pacis, honore se inuicem præueniant, &
ipse charitatis authorem se ipsum ac formam præbeat, ob id
Concionator comparatur lucernæ, quæ omnibus lumen æquè
communicat, & soli qui omnes æquè illustrat, & nubibus, qui
pluuias mittunt in omnes agros, tam diuitum, quam pauperum,
ob id apud Isaiam dicitur, quasi tuba exalta vocem tuam, hæc
enim ad omnes insonat, cuiuscunque sint conditionis homines.
Quantum potest fugiat omnes materias, atque adeo voces, quæ
cuiuscpiam ius, vel in re minima possint offendere, non enim est
locus ille huiusmodi res, tam periculosas atrectandi, quia si
alteri faueas, fies alteri odiosus, si rem attingas, ac medium te
velis ostendere, suspectus eris vtrisque, ab neutris gratiam ini-
bis, Item si quæ incident in Ciuitate factiones ita age de con-
cordia, & charitate, vt non nisi bonum omnium æqualiter, & ci-
uitatis commune beneficium tibi curæ esse significes, Multo mi-
nus inter concionandum intermiscebis mentionem de bellis,
atque dissidijs, quæ forte inter Christianos Principes gerantur,
solent enim huiusmodi dicta, ingenia in diuersas partes trahere,
& animos perturbare. Caue ne inter familias nobiles vnã
præferre alteri videaris, nec nimis vnã aliquã laudabis. Ha-
betur enim pro præiudicio ea laudatio, cumq; sæpè cõtentiones
& æmulationes inter eas vigeant, præsertim in rebus publicis
si vnã laudes, ceteras lædis; Neque celebrabis vires vnus na-
tionis magis, quam alterius, Diligentissimè prouideas ne videaris
de hominibus alicuius nationis quamuis longe absint non
benè sentire, nam & id postulat charitas, & fama malum quo
non velocius vllum, quæque eundo crescit, Sæpè quod prædica-
tum est in Italia ad vltimas Terrarum prouincias, amplificatã
defertur, deniq; in his, & huiusmodi rebus fugiendæ sunt com-
parationes, verè enim dicitur omnis comparatio odiosa.

DE QVIBVSDAM
INDVSTRIIS ORATORI

Christiano seruandis .

LIBER DECIMVS .

*Enumeratio eorum , quæ in hoc Libro con-
tinentur .*



D Prudentiam Oratoris, quam in hac
tertia operis nostri parte tractamus,
multæ industriæ pertinent, in quibus
prudenter laborans noster Ecclesia-
stes, non contemnendos, percipere,
queat laborum suorum fructus : Has
ergo industrias hic decimus ac po-
stremus huius nostræ Institutionis
liber complectetur, quas omnes ad

quinque tractationes putauimus commode referendas . Ab
vniuersalioribus initium sumentes. Prima tractatio erit de ijs
industrijs, quas tenere debeat, qui proximorum saluti cum
fructu vacare velit, maxime in Missionibus. Ad secundam per-
tinebit modus eleemosynas, ad pauperum inopiam subleuan-
dam commendandi ; quod munus in plerisque locis ab ipso
diuini Verbi præcone, cum ipsa concione simul exercetur .
Tertiò, colligemus varias admonitiones, quæ praxim, & vsum
in multis vitæ spiritualis actionibus edocent, quæ item in
concionibus sparsim, pro nata occasione, adhibita emolu-
menti non parum afferent . Quarta erit industria, quæ tam
in paranda, quam in habenda concione adhiberi debet . Po-
strema pars obseruationes aliquas referabit, quas in Qua-
dragesimalis ieiunij prædicationibus tenens, Concionatoris
industria, possit ex continuata illa actione animarum lucrum
labori consentaneum reportare .

INDVSTRIAE PRO IIS
qui proximorum saluti dant
operam, præsertim in
missionibus .

Quales industriae circa seipsum obseruanda.

CAPVT PRIMVM.



Voniam candidi animi est vnde profeceris profiteri, candidè profiteor quæ in hoc tractatu primò explicabuntur, quantum ad ipsam rerum substantiam, magna ex parte desumpta esse, ex quodam manuscripto R. P. Polanci nostræ Societatis viri sanè prudentissimi, multaq; experientia, qui nostro Beato Patri Ignatio, & duobus ab illo Generalibus Jacobo Laynio, & Francisco Borgiæ fuit à Secretis, quinimò arbitrator pleraque, vel omnia eum ex ipsomet Ignatio desumpisse. Poterunt autem vsui esse non solis Concionatoribus, sed alijs quoque omnibus, qui vel ex suæ vocationis instituto, vel ex zelo charitatis proximis prodesse cupiunt, cum omnibus dictum sit: Vnicuique mandauit Deus de proximo suo.

In primo igitur, eoq; præcipuo capite sunt industriae, quæ circa seipsum seruanda sunt. Nam qui sibi nequam est, cui bonus erit? Sicut enim Deus in rebus naturalibus effectus aliquos ad perfectionem non adducit, nisi per ipsas causas perfectas, ita planè in spiritualibus est intelligendum eum, perfectum esse oportere, vel saltem perfectionis cupidum, cuius ministerio ad aliorum salutem Deus vtatur, ijsq; ornatum virtutibus, quas alijs procurat. Scio me in prima parte multa de virtutibus dixisse, quæ personam Oratoris nostri, & quoad Deum, & quoad proximos informant, ea non repeto, sed quæ subijcientur, quia maximè vtilia sunt, ideo prudentibus viris molesta fore nõ arbitrator præsertim quod breuissimè tanguntur.

Desiderium
sue perfe-
ctionis.

Primò igitur dico ab his, qui alios velint ad virtutes promouere sitiendam esse propriam perfectionem, vt semper eo spiritu ardeant, quo ad perfectionem vrgeantur. Hoc autem
fiet

fiat solidarum virtutum studio, sedula cura incumbendo: cum enim his, qui cum proximis occupantur minus suppetat otij & loci, ad diuinarum rerum contemplationem, quo abundant Anachoretæ, qui in Eremito sibi dumtaxat attendunt, æquum est, vt hanc contemplationis penuriam, solidarum virtutum actionibus compensent, vt hoc modo perfectionis status, & coalescat, & roboretur, nec deuotionis spiritus euanescat. Hac autem in re quantum proficiat ex quotidiani examinis accurato vsu intelligere quisque poterit, in quo, & reprehendere seipsum si minus progrediatur; & in futurum tempus animos resumere poterit. Hic autem progressus ex hoc maxime apparebit, si in suarum passionum domandis insultibus præcipuo studio laboret.

Passiones autem, cum quibus, ijs maxime qui proximo iu-
uando incumbunt pugna est ineunda, sunt huiusmodi. Primo, timor omnis fugandus, & abijciendus: neque enim paupertas vel iniuriæ, mors ipsa denique ei timenda, qui & in illis patientiam, & in hac constantiam alijs est prædicaturus.

Secundò, in rebus aduersis quas ab alijs patitur, videat ne sub zeli specie, odium aut amaritudo, contra sibi aduersantes irrepat, pro eis potius preces fundat, & omnem animi rancorem, bene de ijs loquendo, deleat, contra eos tamen qui animarum salutem impediunt, strenuè ad maiorem Dei gloriam, prudenterq; se gerat.

Tertiò, ne sit apud Deum pusillanimis, vbi se aut paruipendi, aut male tractari senserit, nec diffidat etiam si parum se prodesse videat, quin illud sibi habeat persuasum nunquam, se, dum Dei gloriam querit, ab eo desertum iri.

Quartò, expugnandus est ille ternarius vitiorum, ambitionis, præsumptionis, & cenodoxiæ, hæc etenim vitia occultè se ingerunt, & amica facie sub boni specie fallacius blandiuntur. Nam primò per ambitionem honores, & dignitates sibi, professioniq; suæ repugnantes venatur. Secundò, si præsumptioni locum dederit, quæ supra vires sunt aggreditur, alienis se immiscet, & plus æquo sibi tribuit. Tertiò, per vanam gloriam, quæ Dei gloriæ sunt, sibi fraudulenter vsurpat: igitur contra pestem ambitionis, honores nec appetat, nec oblatos sumat, nisi ad auctoritatem docendi, animarum vè lucrum, adhibita sollicitè cautela conferre aliquid videretur; præsumptioni prudentiam opponat, ne ea attentet quæ ob diffcultatem supra vires sint. Vanam gloriam cum Diuo Bernardo

Contra animi sui passiones pugnam ineat.

Caueat à pusillanimitate.

Superet ambitionem, præsumptionem, cenodoxiæ.

nardo propulset, vt dicat, nec propter te incepti, nec propter te finiam.

Naturæ vitia expugnet.

Quintò, videat ne in aliquod suæ naturæ procliuè vitium incurrat, vt si natura facilis sit, ne in adulationem, aut approbationem earum rerum, quibus aduersari deberet labatur; si seuerus, aut asper, ne in morositatem, seu reticritatem, contradicendo in omnibus quæ minus sibi placeant: verum quomodo se gerere debeat discretio ipsa docebit.

Corpus edomet.

Sextò, concupiscentias corporis in cibis, & alijs corporis titillamentis deuiter, seq; in ijs abneget, quæ suggerit appetitus; nam præterquam quod proximis est scandalo, proprium spiritum suffocant, & ad maiora peccata incitant. Tamen in corporis ægritudine valerudinem curet, ijsq; remedijs vtatur, quæ Deus ad eam conseruandam dedit, caueatq; ne impatientia, alijsve passionibus, quas solet ægritudo prodere, malè circumstantes ædificet, sed infirmitatem tamquam Dei donum hilari fronte suscipiat, & vitæ in melius propositum sibi, alijs verò bonum exemplum proponat.

Mortificatio nē amet moderatam.

Septimò, mortificatio sui sicut est efficax instrumentum, vt aliquis non solum sibi, sed & proximis sit adiumento: ita obuijs vlnis est amplectenda. Caueat tamen, ne se ieiunijs, alijsq; externis corporis macerationibus ita debilitet, vt ad labores ministerij sui subeundos ineptus efficiatur: Nam excessus in his nulli conuenit, multò minus ijs, qui in Domini vinea excolenda laborant. Sicut autem huiusmodi castigationes erunt assumendæ ad maiorem sui spiritus profectum, ita temperandæ erunt, vt diu in diuino seruitio illas tolerare, & continuare possit, prout & sancti Spiritus vnctio, & prudens vbique seruanda discretio dictabit interius.

Abnegatio voluntatis & intellectus.

Octauò, abnegatio propriæ voluntatis omnino necessaria; reprimendiq; motus ex amore proprio enascentes, etiam erga res licitas, & interiorem hanc mentis compositionem totius exterioris hominis, constans compositio subsequatur: intellectus autem non modo in Ecclesiæ Catholicæ Fidem captiuandus, sed à dubijs etiam doctrinis abstrahendus, nec de ijs cum alijs agendum. Reuelationes item non magni faciendæ, sed nec alioquin contemnendæ, nec in rebus similibus confidendum, solent enim cum falsæ deprehenduntur, auctoritatem tollere, aut minuere, sed solida Doctrinarum

rum sanctorum, & aliorum ab Ecclesia approbatorum doctrina sequenda est: quamvis aliquando ratione temporis, & Regionis, expediat dubiæ doctrinæ libros consulere, cum facultate tamen Superiorum, eo fine, vt eorum errores confutentur.

Nonò, nullam propriæ fragilitati det occasionem consuetudine aliqua, seu familiaritate, maximè cum fœminis, quibuscum nisi palam, & paucis colloquatur: agetq; cum illis seuerè potius quam blandè: cumq; earum Confessiones excipit aversa facie sedeat, ne pateat aspectus. Quinimò vbi non ingens adeò fructus occurreret, & esset alius, qui ijs attenderet libenter ei meritum relinquatur, vacando interim rebus, & maioris momenti, & minoris periculi.

In familiari conuersatione cautus.

Decimò, discat nulla re offendi, aut scandalizari, imò ex omnibus fructum eruere, neminem facilè condemnet, neque ex solis suspicionibus firimum iudicium ferat, nec propter prudentiam, perdat simplicitatem, sed vtramque conseruet: ad curationem tamen eius, qui remedij est capax non formando iudicium, sed ex sola coniectura procedi potest.

Non scandalizetur in vlla re.

Vndecimò, omninò prudenter se gerat in medio nationis prauæ, atque peruersæ quò pertingere poterit, si humilis, & edomitis passionibus abnegatus fuerit: iuuabit etiam si ea quæ in dies vel ipse experietur, vel ab alijs didicerit quotidie in se reflectat, vt deinceps seipso circumspiciat.

Prudentia.

Duodecimò, cæterum id postulat ordinata charitas, & suscepti muneris ratio, vt nemo sui obliuiscatur, dum aliorum saluti datur opera. Ne igitur occupationibus distrahatur adeò, vt suo profectui spirituali non attendat: nam vt proximum adiuet; ipse à Deo debet adiuuari, vt igitur habeat, quæ in alios possit effundere, ad Deum fontem bonorum omnium, quotidie statis horis recurat, conscientie examen non aspernetur. Multum etiam iuuabit quotidie sacrum facere, vel frequenter communicare si Sacerdos non erit.

Attendat sibi.

Decimotertiò, quoties cum proximo agit ab ipsius exteriori homine animum ad interiorem conuertat, externum illum velut saccum immunditijs plenum, hunc interiorem vt sanctissimæ Trinitatis imaginem considerans. Quod si

In proximis Deum attendat.

eum peccato deformem viderit, charitatis affectu compatiatur. Item si eundem Christi sanguine, & vita redemptum, tantæ redemptionis præcium contemnere senserit, ex sancto zelo velut expostulet, quod in accepta iustitia non perseueret, denique id obseruet, vt cuiusq; animam tamquam Christi sanguine perfusam, omnesq; vt Christi membra, & Spiritus sancti templa interius contempletur: confert autem maximè crebra mentis in Deum eleuatio, qua tum in eius gloriam, & beneplacitum omnia dirigantur, tum ad hoc ipsum, auxilium quam possit maximo desiderio, & fiducia postuletur, atque huiusmodi oratio rebus alicuius momenti semper quantum fieri potest, præmittenda est.

Ab omni vel minimo peccato proponat abstinere.

Decimoquartò, denique illud apud se firmissimè statuatur, ob nullum lucrum, quod expectet, vel alia quauis causa, peccatum vllum vel minimum veniale committere: sed omnia sincerè coram Deo, & hominibus turet perficere.

De his, qua erga proximum agenda sunt.

Cap. I I.

SI quis missus est aliquò, vt certum negotium peragat, ei seriò vacabit, si verò indifferenter missus est, qua ad maiorem Dei gloriam, & animarum salutem expedire videbuntur, & per se, & per alios strenuè procuret, paratus, omnes, & locorum, & temporum iniurias perpeti. Dum autem in his occupatur, si re aliqua incepta, alia sese obtulerit, qua priorem non impediatur, vtraque amplectenda videtur; si verò alia maioris momenti offeratur, qua priorem inceptam, omnino, aut ex parte impediatur, non videtur hæc maioris boni occasio prætermittenda, semper tamen præferenda est causa ob quam mittitur. Nec imprudenter plura, vel maiora assumenda, vt vnum ab alio impediatur, aut non possit vtrique vt par est sufficere.

Non omittat occasionem maioris fructus quando occurrit.

Non temerè se ingerat in negotia, sed prudenter.

Temerè ijs rebus se non ingerat, ad quas nisi vocatum accedere non deceret, quamquam vbi diuini honoris augendi certa spes affulgeret, licitum, & sanctum est eiusmodi negotium per se, aut per alios, & quærere, & obtinere: verbi gratia, prædicandi munus, si id legitimè assumatur, in-

Iam

Iam verò (vt ad particularia descendamus , vt appareat quæ , & qualia opera sint in auxilium animarum assumenda , quædam breuiter subiiciemus , quibus tamquam principijs tota hæc industria niti debeat .

Primò igitur præferenda sunt cæteris paribus (propter necessitatem) ea quibus infirmi ad bene moriendum adiuuantur , modò infirmus is sit , qui auxilij sit capax , & possit eo vti , nec prius deserendus , quam in gratia Dei , & bono statu esse credatur : videlicet cum post Confessionis & Eucharistiæ sacramenta , diuinæ voluntati videtur conformatus : adesse autem continuò agonizantibus , & ibidem sæpius pernoctare ei qui in missione versatur , non expedit ob incommoda quæ inde consequuntur , nisi ob maximi momenti occasiones , vbi docebit discretio quid sit agendum : nec item rerum temporalium dispositionibus sese implicare , (nisi forte quantum ad exonerandam infirmi conscientiam requiritur) præstat : Hortari quidem illum conuenit ad testamentum condendum , illi tamen conficiendo assistere non expedit .

Secundò inter opera , quibus proximus ad bene viuendum excitatur illa , quæ ad salutem spiritualem eiusdem necessaria sunt , reliquis minus necessarijs etiam si in se perfectioribus , sunt anteponenda . Hinc colligitur errores contra fidem , blasphemias , scelera publica prius esse extirpanda . Et quando ad hanc rem secularis brachij potestas necessaria esset , si eius auxilium consequi possit multo melius erit : enitendum item , vt peccati status , ab inueteratæ malitiæ viris tollatur , vt concubinatus vsuræ , &c. pœnitentiam sub spe veniæ inculcando : inde ad orationes , elemosynas , cæteraq; misericordiæ opera , tandem ad perfectiora pro capacitate promouendo : sunt autem prius Doctrinæ Christianæ capita , reliquæ ad salutem necessaria tradenda , quoniam ad hæc omnes obligantur .

Tertiò , bonum quo vniuersalius , eo melius , & maiori studio procurandum , quare vniuersaliora , & publica bona maiori diligentia quam priuata curanda sunt : verbi gratia Episcopi , Pastores animarum , Concionatores Verbi Dei , Scholarum item præceptores , si data occasione , offerendo operam nostram amanter , & reuerenter agendo cum ipsis adiuentur , latius patet bonum , & fructus , vt pau-

Z z 4 peri-

Quædam opera , alijs sint præferenda .

Ea , quæ ad moribundos spectant .

Magis necessaria præferenda non tam necessarijs .

Bonum , quod vniuersalius eo melius .

peribus, vt mulierculis quæ victum turpi quæstu procurant subueniatur; loca eis quærendo, si resipiscere voluerint, alioquin ijs recedere à peccati statu, difficile est.

Spiritualia
preferenda
temporalibus.

Quartò, inter bona opera cum omnia simul fieri nequeant, præferantur meliora, nempe spiritualia temporalibus, vnde prius catecheseos & conscientiæ ratio habenda, quam prouisionis cibi ac vestium, nisi famis vrgeret necessitas: sic ijs prius subueniendum qui in maiori periculo pudicitia, alteriusve damni versantur: inter temporalia ea præferantur quæ ad salutem animæ plus momenti habent, vt collocare fœminas in matrimonij, vel Religionis statu potius quam viros, & inter fœminas, ijs quæ sunt in maiori periculo citius subueniendum, vt adolescentioribus quam adultis.

Quæ magis
durant alijs
preferenda.

Quintò, præferantur opera pia, & fundationes, quæ diutius permanent minus duraturis, vnde magis insistendum, vt subuentio aliqua orphanorum fiat, præsertim si talis sit, vt orphanæ virgines nuptui tradi possint, si tamen comoditas adsit, nam vltra vires personarum huiusmodi opera tentanda non sunt.

Certiora pro
babilibus.

Sextò, præferantur illa etiam, quæ certius, & verisimilius perfici possunt, quam quæ minus sunt probabilia, securiora item, & à nota suspitionis, magis aliena, & quæ minus detrimenti, aut periculi cæteris paribus habent, præferenda sunt, ijs quæ talia non fuerint, siue defectus, aut ipsum periculum importetur ab opere, siue à personis cum quibus agendum est, siue à modo agendi, ea item opera potius eligenda sunt, quæ ab alijs aut negliguntur, aut relinquantur, quam ea quæ ab aliquibus abundè, ac sufficienter fiunt.

Fortis sit nõ
pertinax.

Septimò, vt fortem ad opera pia aggredienda, & constantem ad exequenda esse oportet contra aduersantium iniurias, ita in eorum prosecutione pertinacem esse non decet, quando inceptum opus dimittendum esse, ab ijs, qui bene, & prudenter sentiunt in Domino iudicaretur.

Quæ incipit
curet perficere.

Octauò, prouideat diligenter vt opus quod erit semel perfectum conseruetur, magisq; curandum est, vt res semel incepta perficiatur, quam multa quæ perficienda non sint, incipiantur, ad quod iuuabit, si non solum ipse per se, sed etiam per alios pia opera perficienda procuret.

Nonò,

Nonò, sollicitè conseruet eos, quos iam in rectum tra-
mitem reduxit, & voce, & per literas (si ita videbitur)
perseuerantiam inculcando. Quod si aliquos ad res spiri-
tuales, puta Confessionem, orationem adducere non pote-
rit, saltem ad opera misericordiæ instiget. Denique in-
vniuersum curet, vt nihil à fine diuinæ gloriæ, & boni com-
munis alienum operetur, nihilq; eorum omittat, quæ ad
hoc conferre videbuntur. Quod si minus opere præstare
possit, saltem voluntate non desit, quin desiderio insatia-
bili maiora appetat; idq; à Christo quotidianis precibus im-
ploret, vt suos defectus suppleat, & media fini suo condu-
cibilia sibi proponere non dedignetur, neve sua culpa
fieri permittat, vt prædictum finem, vel minimè vel minus
ipse consequatur.

De personis cum quibus agendum est, & quanto tempore.

Cap. III.

Plurimum hoc refert, & in vniuersum hoc dici potest
potius agendum cum ijs, vnde maior Dei gloria, &
communius bonum speratur, quam cum alijs, qui vel mi-
nus in se proficiunt, vel maius bonum impediunt. Ex hac
vniuersali conclusione particulares aliæ non minoris momen-
ti deducuntur.

Primò igitur præter familiaritatem mulierum, & perso-
narum, è quibus aliqua infamiæ nota possit suboriri quam
superius diximus fugiendam: expedit non valde occupari
cum Monialibus, Concionibus rarò, Confessionibus rari-
us, nisi necessitas ab ijs imponeretur, quibus nec potest,
nec debet negari: minus enim illæ egent cum in obsequio Dei
iam suum procedendi modum præscriptum habeant, & vt ru-
musculorum tollatur occasio.

Secundò, neque occupari debet nimium cum illis, qui-
buscum sola spiritualis consolatio ex conuersatione conse-
quitur, quales sunt simplices, etiamsi boni, eorum Confes-
siones excipiendo, cum adsint alij, à quibus maior fructus
speretur, huiusmodi suis Confessarijs sunt relinquendi, etiam
si illis ipsi minus satisfaciant, non quod desit nobis quos-
cumque consolandi desiderium, sed quia maiora bona mino-
ribus impediri non debent.

Ter-

Ad finem di-
uinæ gloriæ
omnia diri-
gat.

Ad finem di-
uinæ gloriæ
omnia diri-
gat.

Ad finem di-
uinæ gloriæ
omnia diri-
gat.

Cum Moni-
alibus quomo-
do agendum.

Cum Moni-
alibus quomo-
do agendum.

Quomodo
circa confes-
siones aliquo-
rum se gerat.

Cum malis,
more medico
rum conuer-
sandum.

Tertiò, familiaritas cum illis, qui aut mali, aut hypo-
critæ habentur, vt bonum nomen conseruetur contrahenda
non est, cum alioquin de eorum profectu parua sit spes, cum
ijs enim more Medici duntaxat adhibitis interdum spiritua-
libus remedijs tractandum est.

Quomodo a-
gendum cum
his qui non
curât nostras
admonitio-
nes.

Quartò, cum ijs qui nolunt adiuuari, & in suis errori-
bus, aut peccatis obstinati videntur, aut monentes irrident,
tempus non videtur conterendum, sed potius cum terrore
mortis, & inferni sermonem finiat, vtionem diuinam in-
tentando, nam alioquin cum ijs agere ipsifmet nocet potius
propter rerum diuinarum contemptum: & margaritas ante
porcos projicere vetuit Christus.

Magis cõmu-
nitati seruien-
dum quã pri-
uatis.

Quintò, dum potest prodesse communitati in Concioni-
bus, aut lectionibus non est priuatis negotijs illud impenden-
dum, id est, audiendis Confessionibus, vel similibus. Quod si
tempus superfit, & vires suppetant, tunc potest, imò debet
priuatorum vtilitati consulere.

Cum quibus verò magis agendum sit dicam.

Cum Princi-
pibus quomo-
do agendum.

Primò, agere cum Principibus secularibus, eum qui
apud eos auctoritate valet, & gratia, modo alienus sit à
curiositate, atque intentione sincerus sit, valde communi
bono prodesset, nam qualis Princeps, talis populus: & bo-
na quæ in ipsos conferuntur, magna ex parte in subditos
redundant, partim exemplo, partim potestate, qua multa
mala exterminari possunt, multa bona induci, quanto
autem hæc conuersatio erit spiritualior, tanto in Domino
utilior.

Cum Præla-
tis.

Secundò, procuranda est amicitia primò cum Prælati-
& Ecclesiasticis, vt cum Episcopo, & eius Vicario, quorum
ipse operarius, auctoritate ac ope indiget, cum ipsi sint
Pastores Dominici gregis, ex quorum benevolentia colle-
cta, abundantior animarum fructus erit expectandus.

Cum his qui
auctoritate
valent.

Tertiò, agendum est etiam cum ijs, qui auctoritate va-
lent, siue Ecclesiasticis, siue secularibus, nam eiusmodi ho-
mines si boni sint reliquos, & spiritualiter, & temporaliter
multum adiuuare possunt. Et præferenda est horum
conuersatio, si adiuuentur, ei quæ cum popularibus habe-
tur, si vtrisque satisfieri non possit. Idem de Rectoribus
animarum, scholarum, & similibus intelligendum est.

Cum his qui
bene audiunt.

Quartò, cum viris qui benè audiunt, qui probitate vi-
tæ, do-

re, doctrinavè sunt conspicui consortium amicitiae, uti-
lis est, vt eorum exemplo & opera alij promoueantur; ijs
etiam se ingerat, qui rerum experientia polent, moresq;
patriæ callent, ex quorum consuetudine multa intelliget,
quæ in promouendo Dei obsequio fieri possunt, quantum
verò eorum consilio, & opera sit vtendum Discretio pru-
dens docebit.

Quintò, charitas ordinata exigit, vt nobis beneficentio-
res beneficentius adiuuemus, nec solum cum ijs, sed etiam
cum aduersarijs, si commodè fieri possit, vt in amicitiam
redeant peculiari amoris, ac bonorum operum demonstra-
tione tractandum est.

Sextò, cum infirmis hospitalium, aut qui carceribus de-
tinentur, & alijs huiusmodi hominibus, quibus nihil ter-
reni lucri expectatur, aliquando conuerfetur, eos consolan-
do, Confessiones audiendo, & similia spiritus adiumenta
præbendo; magnum est enim charitatis opus, atque ad
eam, & conseruandam, & augendam valet, præsertim
si is, qui in his versatur, magnam est consecutus vulgi
opinionem, aut Principum gratiam, quia, suæ humilita-
tis exemplo multum in Domino ædificare poterit: viden-
dum tamen, ne hoc meliori alicui operi sit impedi-
mento.

Septimò, spirituali morbo magis laborantibus, auxilio
spirituali destitutis, & ijs qui in bono constantiores futuri
existimantur, cæteris paribus prius est subueniendum, qua-
les sunt mundani homines, & ij qui in pagis degentes, ca-
techeseos subsidio, & bene viuendi instructione carent: item
ij, qui à peccati statu recedere, & generales Confessiones in-
stituere volunt.

Octauò, cum in aliqua Ciuitate, aut loco fructus, qui
ex labore sperabatur, videtur perceptus, alio migrare de-
bet, quo eum maior doctrinæ vocabit necessitas; in Ca-
stellis, seu pagis diebus festis, quo magna populi multi-
tudo solet conuenire, expedit concionari, vbi eà docean-
tur, quæ saluti animarum magis sunt necessaria, sicut Chri-
stus circuibat vicos, & castella, prædicans & euangelizans
regnum Dei.

Circa temporis circumstantias, vt sciat quantum tem-
poris negotijs tribuendum, quinq; videntur expendenda,

imo & id
quæ
mobilitate

Cum benefa-
ctoribus &
aduersarijs,

Cum his qui
in Hospitali
vel carceri-
bus sunt.

Cum his qui
magis indi-
gent ope spi-
rituali & cõ-
stãtiores sũt.

Migrandum,
ad loca vbi
maior est do-
ctrinæ neces-
sitas.

da, quæ breuiter subiiciemus.

Vbi, & cum quibus plus temporis immorandum. Primò, considerandum est personæ, vel rei momentum, nam ijs quæ cultum diuinum, & proximi vtilitatem magis promouent, cæteris paribus plus temporis est impendendum.

Juxta ratione negotij. Secundò, consideranda est necessitas, quam negotia exigunt, vt maiori necessitati tempus longius impendatur: rationem tamen sui ipsius habere debet, nec enim supra vires, aut sanitatem corporis, ac animi rem vllam suscipere debet, perspecta non solum præsentis habitudine, sed etiam futura.

Tertiò, cognoscere debet eorum, cum quibus tractat ingenium, nam expedit, aliquibus sui desiderium relinquere: alijs verò frequentior conuersatio conuenientior est.

Quartò, sit parcus temporis, nec illud vnquam temere consumat extra diuinum seruitium, ad quod & laborem, & quietem, cæterave dirigat.

Ne nimis feruere. Quintò, caueat ne tempus negotijs, desiderio cito finendi detrahat; sic enim ea quæ semel inchoauit infecta relinqueret, & quamuis ipsius desiderium ad omnia pia opera sese extendat, tamen rebus præsentibus necessarium tempus non deneget, etiam si tardius finiatur. Denique & si frequentius Auditorium cæteris paribus minus celebri est præferendum, non tamen ob Auditorum paucitatem animum despondeat, potens est enim Deus fructum etiam ad remotiores, & absentes extendere: præterquam quod ea res humilitatem, & longanimitatem Concionatoris magis exercet.

Quæ adiumenta, seu media tenenda sint ad proximorum salutem. Cap. 1 V.

Primò in communi, postea in particulari de aliquibus medijs agemus.

Media in vniuersali, quæ sint Interna. Media in communi quibus vtetur operarius ad animarum lucrum, partim sunt interna, vt charitas, & propria perfectio, efficax desiderium salutis proximorum, spes in Deum, & oratio, quæ inde oriatur, de quibus actum est in primo cap.

cap. partim sunt externa, vt virtutis exemplum, ministerium concionandi, legendi, docendi doctrinam Christianam, sacramenta conferendi, conuersandi, & inferuendi hospitalibus, & similia. Ijs vero vel vtimur ad benevolentiam comparandam, vel ad auctoritatem erga homines consequendam, quaerendo semper maiorem Dei gloriam, & maius animarum beneficium.

Media hæc efficacia, & proportionata esse debent ad finem nobis propositum iuuandi proximos, vt hi peccata relinquunt, & Dei gratiam eiusque augmentum acquirant: finis iste cum supra naturæ vires sit, non humanis medijs præcipuè fidendum est, sed Infinitæ Dei potentia, ac bonitati, quo tanquam fundamento iacto, omnia media vim habebunt, maxime vero specialis oratio ad Deum, & sanctos multum valet, vt petat modum agendi cum fructu, quod facturus est, & curet ab alijs etiam preces offerri in hunc finem.

Deo maxime
fidendum.

Exteriora media, quæ multum iuuant ea sunt Primo exemplum vitæ, in quo diligenter aduertat, ne quidquam verbo, aut opere fiat secus, quam debet: ideo vitandus est inconsideratus, & de rebus inutilibus sermo; item exaggerationes, aut amplificationes nimia, aut passionis alicuius indicia, vt odij, iræ, ambitionis, iactantiæ, ac superbiæ, ab omni enim specie mali abstinendum est; quin potius totius hominis exterioris demonstratione, in sobrietate, vigilantia, & passionum victoria, interior animæ pax, & compositio significanda est.

Externa me-
dia in cõi.

Secundo honesto hospicio sic vtatur, vnde maior possit aliorum ædificatio confurgere, vt si in hospitali, vel alibi degat semper bonæ existimationis ratio habenda est.

Tertio modestia, & charitas, quæ foris elucet, & præsertim ex sermone, ad inducendum homines in omne bonum efficacissima est: sic etiam patientia, & longanimitas quibus aliorum defectus tolerantur valde necessaria est, non attendendo, quid tales demerentur, sed potius quid meretur Christus, quæ in omnibus creaturis debet inspicere, sic etiam in negotijs, non tam dignitas, vel abiectio rei; quam obedientia, & charitas ex qua suscipiuntur consideranda est.

Modestia, &
charitas ex-
terius.

Quarto curet, ne aliquod offendiculum ponat Euangelio, sed quæ gratis accepit, gratis det, eleemosynæ vero, & expensæ, quas nobis alij largiuntur non ad modum exactoris exigendæ

Circa elee-
mosynas ac-
cipiendas mo-
dus.

genda sunt, imò si potest, nec petenda, & quæ vltro offeruntur, moderatè etiam sunt accipiendæ nisi aduersa valetudo, aliquid liberius peti, aut sumi concederet, semper tamen cauendum ne quisquam propterea offendatur.

Gratitudo,
qualis . Quinto quamquam gratitudo benefactoribus planè sit re-
pendenda, ita tamen demonstranda est, vt intelligant omnia, quæ donantur Deo accepta referri: curet etiam vt & ipsi Dei potissimum intuitu illa facere consuecant: Cauendum item ne ipse vilescat, aut ministerium, siue dignitas, dum præ nimia gratitudinis, & gratulationis ostensione in adulationem dilabitur, quin potius ita se debitorem ostendat, vt cognoscant benefactores, si opus sit, quanto à Deo beneficio cumulentur, cum eius gratia aliquid boni faciunt.

Beneuolentia
captanda
quib' modis, Res est magni momenti, eorum cum quibus agitur beneuolentiam captare, facilius enim qui sunt beneuoli in omne, quod velis bonum inducuntur: Ad eam autem acquirendam maximam vim habet, primo de hominibus benemereri, iuuando illos, re, & opera in quibus fieri potest, etiam in temporalibus quantum permittunt spiritualia, ex ijs enim animus ad pietatem tacitè disponitur.

Iuuare alios.
Secundo expedit etiam, vt verbis, exteriorique grati animi significatione, ostendat se non aliud quam animas sitire, absque vlla spe mundani honoris, aut terreni lucri demonstratione, sed pro ratione status omnibus citra tamen assentationem, honorem exhibeat: aliquando eos consulendo cum quibus agit super ijs præsertim rebus quas non ita facillè alijs communicare solet, eorumque Consilijs interdum vtatur quo sibi fidem maiorem adhiberi intelligant, modo hæc sine vilo detrimento, aut suspicionis nota fieri queant.

Honorè exhibere cum grauitate.
Tertio induendum est, quantum fieri potest eorum ingenium cum quibus agitur similitudo enim est amoris mater, & dissimilitudo mater odij: Oderunt enim hilarem tristes, tristemque seueri, omnia igitur omnibus fiat cum Paulo, vt omnes lucrifaciat, & cum eodem per omnia omnibus placendo, remota omni adulatione, aut in corrigendo cum opus erit negligentia, Caueat autem ne dum aliorum naturam induit debitam in rebus constantiam exuat.

Nosse ingenium aliorum.
Quarto iuuat ad beneuolentiam conciliandam, illis se accommodare cum quibus commodè poterit, vt approbando ea quæ meritò approbanda erunt, quædam vero ineptè dicta ferendo,

Accommodet se quantum fieri potest.

ferendo, & dissimulando præsertim quando non est tempe-
stiva correctio, vel grata: quædam etiam, quæ constanter fla-
gitant saltem ex parte concedendo: præsertim si ij sint à qui-
bus potior rei summa dependeat, saluam tamen in omnibus
conscientiam teneat, nec illius integritatem quouis respectu
temerari patiatur.

Quinto cum semel aliquem fuerit alloquutus, cui statim, Perseuerâter
agere debet.
persuadere, quod vult non potuerit, non aspere, sed amanter
eum tractet, nec tædio affectus, est dimittendus, vt cum secun-
do ad eum redierit non fugiat: fieri enim solet quandoque,
vt verba nostra, absentibus nobis efficacius operentur, quam
præsentibus: Quod si is talis esset naturæ, qui obiurgandus
videretur, tunc discreta libertate foret increpandus.

Procuranda est bona existimatio apud eos cum quibus agi-
tur, præsertim antequam res difficiles aggrediatur, vel tra-
ctare incipiat: ad eam autem plurimum valent, vt ad parti-
cularia descendamus. Bona existi-
tio quibus
modis com-
paretur.

Primo morum grauitas, & exterioris hominis maturitas: Grauitas mo-
rum.
maximè in verbis grauitas, & circumspectè prolatis patienter
alios audiendo, neque sermonem interrompendo, ne solus
ipse loqui velle videatur, secus enim facere odiosum est, &
authoritatem minuit.

Secundo iuuat moderata veræ, & sanæ doctrinæ demonstra-
tio, absque suspitione iactantiæ, aut ostentationis; sed potius
cum modesta donorum Dei significatione omnia ad eiusdem
Dei gloriam referendo. Demonstra-
tio doctrinæ
sine vanitate.

Tertio omni fortuna prospera, & aduersa superiorem se-
prodat, nec deiectum animum in rebus significet, & quamuis
suis cuique honor tribuendus, & exterior exhibendus, non-
nisi graui quadam humilitate id faciat, nullam ostendat se ad-
mirari excellentiam, dignitatem, scientiam, & similia, quæ
vulgus extollit, nec propter huiusmodi, suam humilitatem,
discretam perdat libertatem, Inde fiet, vt pluris æstimetur à
magnis, & à popularibus, qua opinione vtrosque in Domino
facilius iuuabit. Sit animo ad
oia magnus.

Quarto conducit etiam non facile definire, quæ certa om-
nino non habet præsertim in rebus, quæ ad conscientiam Non facilè
definiat que-
stiones.
pertinent, ne si quid vt falsum deinceps refutetur, authorita-
tem minuat, nec si falsitatis conuincitur defendere cone-
tur, ne sit nouissimus error peior prior.

Quinto

Res suas qua
maturitate
alijs cōicēt.

Quinto iuuat etiam non facile, sed matura consideratione præhabita, quantum expediat res suas alijs communicare, non omnia omnino, Ita enim fiet, vt dum aliqua intellexerint plus esse putent in recessu, quam in fronte appareat: Nam in rebus humanis, cum naturaliter limitatam perfectionem contineant, minoris sit, quod plenè cognitum esse putatur.

Non acci-
piantur mu-
nèra.

Sexto apud quem intendit autoritate valere, confert ab eo, neque dona, neque quicquam aliud quantum fieri poterit accipere: nam in dante existimatio recipientis, in recipiente libertas minuitur, ita tamen, vt quod necessarium non est modestissimè recusetur.

Nimia fami-
liaritas sæpè
contèptum
parit.

Septimo ad conseruandam eandem autoritatem diligenter aduertat, ne contemnatur, aut minoris fiat, propter nimiam familiaritatem, quam aliquibus carius expedit ad maiorem Dei gloriam. vendere, nec eos prolixis colloquutionibus satiari: & frequenter euenit, vt plus iuuentur, si desiderio nostri teneantur. Hoc autem in vniuersum dictum sit, nam alioquin in eum poterit incidere, qui ex intimiori familiaritate tractabilior efficiatur: seruandus tamen vbique, ac semper modus, si enim verbi gratia, ab aliquibus sapius ad conuescendum inuitaretur, tunc imponendus esset modus: atque in ijs, & cum ijs sic agendum, vt vel loquens, vel prandens, vel aliud agens alios spirituali colloquutione, ac exemplis ædificet.

Nulli leuita-
ti locus de-
tur.

Octauo facit item ad bonam existimationem, non esse præsentem ludis, spectaculis, conuiujs alijsvè similibus vulgi delitijs, vbi plerumque vetus homo reuiuiscit, & vix ædificationi locus relinquitur.

Quare omnino caueat ne leuitati det locum: nec se in risu dissolutum, nec temerariū in Consilijs exhibeat: illud sedulo, & omni cura animaduerrat, ne factionis, aut opinionis alicuius partibus, vlla ex parte fauere videatur; sed communi amore in neutram potius partem, propendendo: & communem Doctorum, & Patrum doctrinam asserendo, omnes in domino amplectatur, vt alibi monuimus. In Terris etiam, vbi suspectus est de statu Principum sermo, nihil ibi de ea re loquatur, neque se ijs locis; vel hominibus admisceat, qui apud Gubernatores suspecti sunt. Denique maximè videat ne ex suis dictis, schismatis, aut diuisionis alicuius inter aliquos oriatur occasio, In pacem enim nos Deus pacis vocauit.

Denique

Denique si vereatur, ne aliqua persona aut Congregationes sibi aduersentur: prudenter anteuertat, humanis etiam remedijs puta literis commendatitijs, eorum quos illi homines aut magni faciunt, aut amant, contracta si possit fieri cum eorum primis amicitia, quibus re comunicata, confidere se eis ostendat. Adhuc alia quadam media item subijciemus, quae passim adhibita non paruum toti rei conferent incrementum, & operarium iuuare poterunt.

Aduersarij quomodo conciliandi.

Alia adiumenta uniuersè loquendo ad fructum.

Cap. V.

Imprimis adiuuat rerum usus, & experientia, nam ubi per aliquod tempus versatus in rebus fuerit, tum magis poterit videre quid potissimum expediat ex multis, quae vix explicari possunt.

Experientia multum valet.

Secundò cum multa agenda sint, ne vel obliuione praeferant, aut minus ordinate fiant, in pugillares redigenda sunt, & subinde legenda, ut quo, quidque tempore agendum est, in memoriam redeat.

Libelli, ad conciliandam memoriam.

Tertiò, nunquam se in periculum conijciat ea facile perdedi, quae multo tempore, & labore parata sunt, potiusque in spiritali lucro pauciora tuta habeat, quam multa cum periculo.

Utatur operariorum.

Quartò ad magna, & pia opera exteriora, personarum uagnum nominis utilis erit industria, & cooperatio, quae sustentent, foueant, & suo exemplo, ac autoritate alijs alacres animos ad idem efficiendum adijciant.

Quintò, ei qui ob determinatum aliquem finem missus non fuerit, securius videtur ab humilioribus, & abiectionibus auspicari, & à pauperum obsequio in Xenodochijs à Doctrina Christiana docenda, & similibus, modo auctoritatem necessariam ideo non labefactet, & ab alia re inchoandum esse discreta humilitas, & charitas insinuarent.

Ab humilioribus sepe initium sumendum.

Sextò, antequam Conuersationem, seu familiaritatem intimam praesertim cum grauius personis contrahat, illorum ingenium, mores, inclinationes, talenta, informatione interdum ab alijs prudenter accepta dispiciat, ut sciat quomodo ipsi homines tractandi sint.

Antequam amicitiam contrahat cum aliquo, eius ingenium noscat.

Septimò ad conuersationes, opus est, (salua semper humilitate, & prudentia) expeditione quadam, & libertate, quae cum opus erit, contractam cum quibusdam minus vtilem familiaritatem.

Sciat uti libertate ubi opus erit.



liarritatem commodè, & sine offensione vel grata aliqua executione possit dissolvere: itemque promptitudine etiam ac dexteritate ad alias necessitudines inchoandas, & tuendas præfertim, cum ijs à quibus potior rerum summa dependet.

Iuxta varietatem hominū curet eis opè ferre.

Octavo, solerter agnoscat, multos esse cum quibus expedit circuitionibus uti, ad spiritualia eis proponenda: Contra verò alios, ita dispositos esse, ut primò congressu quæ velit possit loqui, cum his non est diutius expectandum, sed quæ necessaria, aut vtilia in Domino videntur, statim proponi possunt.

Nō ad extrema, statim pergendum.

Nono, non expedit ut homines ab extremò vno ad extremū aliud perducantur ita ut si Avaro prima fronte suadeat magnā fortunarum suarum partem distribuere, aut insano mundi amore capto, mundum illico deserere: natura enim, & consuetudo, repentinas mutationes nesciunt, & sibi contrarias præfertim, abhorrent, quin etiam ubi quis animo concepisset magnam aliquam, & repentinam, etiam si in bonum, mutationem, retinendus est potius, & monendus, ut diutius re tanti momenti perpendat quousque magis fuerit dispositus, & maturior ad huiusmodi perfectiora dona capienda: itaque paulatim, & veluti per gradus homines ad meliora in Domino promouendi sunt.

Timidos animi met.

Decimò affectus immoderatus, vel timor rerum humanarum impedit perfectionem Spiritus; is igitur affectus paulatim minuendus est, adductis in mediū rationibus, quibus ostendatur, quam immeritò res illæ tantopere, aut amentur, aut timeantur sic enim facilius adducuntur homines, ad amandum, quæ verè amanda sunt, & timendum ea quæ verè timenda.

Media sunt proportionata personis.

Vndecimò, Consentanea, & rebus, & personis media sunt adhibenda, quare imperfectis initio illa proponenda videntur, quæ cum proprio eorum amore plus sunt coniuncta. v.g. timor presentis damni proprii: miseria, inquietudinis, & infamia, futurorum etiam cruciatuum: tum appetitus proprii commodi, & earum rerum quibus in hac vita frui contingit, & in futura sperantur, ijs enim citius quam sincero Dei amore illi trahuntur, aut virtutum honestate: adimendus præterea metus, & horror quidam, honestæ vitæ, docenda illius & facilitas, & iucunditas, & quanta turpis vitæ molestia quantiq; in vitij angores.

Capacitas ingenij cuiuscumq; attendenda.

Duodecimò necesse est etiam ut res quæ proponuntur, & modus ipse procedendi, non solum, affectui consentanea, sed etiā ad eorum ingenium accommodatè proponantur: cum itaque alij inueniantur, qui sint subtilioris, alij obtusioris ingenij, alij qui

celerius, alij qui tardius rem assequantur, alij qui plura, alij qui pauciora, moderandus est sermo, ut auditoris ingenium fuerit excellentius, vel humilium, & sicut vasa angusti oris, quæ humoris copiam respiciunt, quod autem guttatim instillatur recipiant: ita doctrina pro cuiusque captu est infundenda. Quod si nescitur ingeniorum qualitas, adhibenda est in dicendo claritas, ut omnibus satisfiat: & subinde inter communita aliquid breuiter admiscendum altioris intelligentiæ, quod auctoritatem conciliet.

Decimotercio plurimum conducit ad cognoscendas, & degustandas veritates rerum spiritualium id tenere quod in Dialogis Platonicis videmus facilitatum, & ad D. August. obseruatum, ut per interrogatiunculæ nonnunquam agendo procedatur, nam hoc modo ita deducuntur, ut dum quædam concedunt illi, alia quæ consequuntur, & ad eorum profectum desiderantur, vel concludant ipsimet, vel conclusa libenter admittant, eos enim vehementius, & mouent, & mouent ea veritates quas ipsi penetrant, & deducunt.

Decimoquarto, denique quocumque modo procedatur curandum est semper, ut ijs, quorum saluti spirituali voluerit consulere, hoc efficaciter persuadeat, quatenus ipsi se ad Dei gratiam recipendam, suis aliorumque orationibus, elemosynis, alijsve similibus adiuuentis disponant: procuret etiam pro viribus ut opere compleant, quæ in concionibus lectionibusve audiunt: Et si videbitur expedire poterit etiam aliqua scribere quibus piorum deuotioni opituletur. Hactenus de Industrijs quæ ad proximum iuuandum valent: Nunc ad secundam tractationem de elemosynis colligendis veniamus.

Prudens modus procedendi per interrogaciones. l. de Cath. rud.

Cura pauperum, & modus colligendi Eleemosynas.

Cap. VI.

Debet Concionator multum affici ad egenorum miserias subleuandas. Animaduertat vbique ferè locorum, valde ad hoc munus pertinere, ut in Concionibus, qui verbum Dei seminant, sibi in corrogent, vnde pauperes iuuari possint, & gaudeant occasione sibi præberi misericordiæ opera, pariter quæ ad animos, & quæ ad corpora spectant exercendi. Quod si quis onerosum id putet, & quasi per transitum exequatur, timeat, ne sit ex imbecillitate charitatis, & misericordiæ suæ, quæ tamen inter Christianas virtutes primum locum obtinent

Cura pauperum annexa officio Concionatoris magnificenda.

Christus ipse non solum misericordiae affectum, offendit erga eos, qui morbis spiritualibus laborabant, sed etiam in eos qui corporalibus premebantur calamitatibus ut apud Mar. misereor ait super turbam, quia triduo perseverant, & non habent quod manducant & apud Matth. cum leprosus genuflexo dixisset Domine si vis potes me mundare; Iesus misertus extendit manum suam, & tangens eum, ait volo, mandare D. Paulus qui in convertendis ad Christum animabus totus erat; adeo ut ab Euangelij praedicatione ne baptizandi quidem causa se distrahi pateretur, tamen huic curae idest collectis ut ipse vocat faciendis, serio insistebat. Ad eas saepe fideles in Epistolis hortabatur, eas aliquando ipsemet Hierosolymam deferebat; minus id tanquam singulare Dei donum plurimi faciens. In tota ferè Italia moris est eleemosynam commendare, atque colligere, resque procedit egrogie, tum in utilitatem egentium, multa enim eis suppeditantur toto anno subsidia, & honestarum familiarum necessitatibus etiam graubus puellarum periculis obuiam itur; tum in eorum emolumentum qui stipè largiuntur, quia datur eis optima merendi occasio, praesertim eo tempore, quo eorum animi ex verbo Dei auditio, sunt inflammati, ut saepe existimem non minus eos inde emolumentum spiritualis percipere, quam ex ipsa verbi Dei auditione, sed utrumque simul procul dubio amplius prodest; cum hoc modo etiam verbum Dei magis confirmetur. Hoc dixerim quia ubi non est haec consuetudo, facile induci posset, neque enim apud nos vllam habet difficultatem, neque vllum concioni praebet impedimentum. In fine prioris partis Concionator de eleemosyna monet, & in quem usum conferenda sit addit: Tum aliqui siue Clerici, siue saeculares ad hoc parati, & sparsim in ipso auditorum catu collocati, siue vllò tumultu quaritant: Idem inter mulieres aliquae ad id destinatae faciunt. Hoc autem modo plus multo colligitur, quam si ad portas templi absoluta concione, ut alicubi fit; collectio fieret; tum quia inter tumultum populi exeuntis non adest commoda occasio diligenter corrogandi, tum quia ille feruor qui in ipsa Concione, ad verba Concionatoris erat promptus incipit frigere, iamque nouae curae subeunt mentem, & multorum animis insita tenacitas redit. Experientia verò perspectum satis apud nos est, qui diligenter, & cum efficacia eleemosynas commendant, copiosas recipere, qui id non faciunt, exiguas, cum detrimento & inopum qui subsidio carent, & dinitum qui praemio. Propterea puto me aliquid adiuu-

Optima consuetudo commendandi pauperes in Concione.

allaturum nostris Concionatoribus, si subscribam hic aliquot communes locos ex quibus materiam sumant, ut res pro voto succedat. Primus locus sit Præceptum nobis à Deo datum, ut bona, temporalia qui habent cum ægenis communicent. Deut. 15. Non deerunt pauperes in Terra habitationis tuæ idcirco ego præcipio tibi, ut aperias manum fratri tuo egeno, & pauperi qui tecum versatur in Terra. Eccles. Pone Theaurum tuum in præceptis altissimi, & proderit tibi magis, quam aurum, conclude elemosynam in sinu pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo. Qui obturat aurem ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur. Ex substantia tua fac elemosynam, & noli auertere faciem tuam ab illo paupere, ita enim fiet, ut nec à te auertatur facies Domini. Quod superest date elemosynam, id est de eo quod suppetit vobis, quod habetis. Iudicium sine misericordia fiet ei qui non facit misericordiam. Planè hoc præceptum apparet manifestè, esse secundum legem naturæ, quæ præcipit, ut quod nobis vellemus fieri, si essemus inopes, alijs faciamus. Et secundum legem Moysis ut patet ex dictis. Et multò magis secundum legem Gratiæ, in qua maximè lex viget charitatis, quæ non verbo, & lingua, sed opere magis est exhibenda. Secundus locus est consideratio pœnæ, quæ non seruantibus hoc præceptum infligitur, quæ sepe est pœna æterna, probant hoc Basil. Naz. Chrysost. ex verbis Christi Esuriui, & non dedistis mihi manducare. Hieron. ex illo Ioan. qui habet duas tunicas, det vnã non habenti. August. ex verbis illis destruaui horrea mea, qui reus fuit, non quod aliena rapuerit, sed quia sua tenaciter retinuerit, vbi etiam affert epulonis exemplum, Itaque vtrumque est diuitibus exitiosum, vel si congregent opes, & abscondant, vel si profundant cum luxu, & voluptatibus sine pauperum respectu, ob id, & Christus vtriusque diuitis formam expressit in Euangelio, Tum eius qui amplificare voluit horrea, Tum eius qui induebatur purpura, & bysso, & canes nutrebat, & epulabatur, quotidie splendide, & vtriusque tristem exitum, apertis verbis, manifestum facit. Tertius locus sit, Dignitas, & splendor huius virtutis quæ tanta est ut etiam alijs virtutibus, & pijs operibus colorem, & nitorem addat. Duæ virtutes inter alias, videntur excellere, inter morales Religio, Inter Theologicas Charitas, & hæc quidem, quo pacto erga Deum melius exerceri potest, quam si pro eius amore, proximis beneficiamus? Nam ipse quidem, fons omnium bonorū rebus no-

A a 2 3 stris,

Præceptum

Dei.

Deut. 15.

Eccles. 29.

Prou. 28.

Tob. 4.

Luc. 11.

Iac. 2.

Non dantur
elemosynas
pœna.

Ad Neop.

ep. 1. in si-

ne.

Io. 3.

Hom. 7. ex

50.

Splendor hu-
ius virtutis.

1. Io. 3.

ſtris, nequaquã indiget, quamobrem, optimum eſt S. Ioannis argumentum, rectèque concludit, Qui viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauserit viſcera ſua, quomodo charitas Dei, manet in eo? optima etiam eſt, illatio, cum ait, qui proximum, quem videt non diligit, Deum quem non videt, quomodo diliget? Si autem religionis virtus conſideretur, dicat quiſpiam, nobiliſſimum eius actum eſſe ſacrificium, & tamen, Chriſtus clamat, Diſcite, quid eſt, miſericordiam volo, & non ſacrificium, & Paulus Beneficentiã, & communionis, nolite obliuiſci, talibus enim hoſtijs promeretur Deus, & D. Iac. Religio munda & immaculata apud Deum, & homines, eſt viſitare pupillos, & viduas in tribulatione earum. Quarto nullum eſt opus, quod Deo nos magis ſimiles reddat, ſicut cum noſtra alijs communicamus, Deus enim eſt ipſum in ſe bonum, Naturam autem boni, eam eſſe ſcimus vt ſe ipſum alijs communit; Itaque rectè illud dictum eſt, nulla re magis homines ad Deum immortalem accedere, quam beneficentia, & liberalitate, quod vel ethnici prædicarunt, ſed etiam hoc, vt cætera luculenter noſter Nazianzenus. Nihil (inquit) tam diuinum, homo habet quàm de alijs benemereri, tamenſi Deus maiora, hic minora beneficia conferat, vterque pro viribus, Fac inquit calamitoſo ſis Deus, Dei miſericordiam imitando] de Deo etiã ſcripturã nihil crebrius, nihil magnificentius prædicant, quam miſericordiam, quaſi hoc Deus titulo maximè gaudeat, vt ſit pater miſericordiarum & Deus totius conſolationis, & repetitis vocibus geſtiat appellari, miſericors, & miſerator Domini proprium, quam humanitas erga alios homines vt ipſa, etiam vox humanitatis ſonat. Certè ſi, totum hominem quaſi membratim intus, & extra inſpicias, ita profecto comperies, Oculi, aures, lingua, manus maximè, pedes, atque adeo omnia corporis membra, pietatem loquuntur, & docent, quippè, quæ à natura ſint tradita, non ſolum vt tibi ſoli ſeruiant, ſed vt his etiam in alios ſis beneficus, videndo aliorum neceſſitates, audiendo, conſolando, adiuuando. Intellectus etiam vt alijs conſulas, Voluntas maximè eſt ad amandum, & compatiendum prona. Homo ſum (ait ille) humani à me nihil alienum puto, monſtrum eſt naturæ, non homo brutis crudelior, qui ſibi tantum, ſe natum putat. Sexto, nihil eſt quod ita reddat hominem, non ſolum planè hominem, ſed etiam Illuſtrem, & magnum, vt hæc ipſa virtus, rectè ille, Regia crede mihi, res eſt ſuc-

Mattb. 9.
Heb. 13.

Iac. 1.

Elemofyna
facit Deo ſi-
mitem.Orat. de
paup. amo-
re.Natura homi-
nis.Elemofyna
facit hominẽ
illuſtrem.

est succurrere lapsis. Merito Imperator Leo, homines ad benefaciendum miseris promptos, soli comparabat, cuncta lustranti, & omnibus sui calor, ac luminis aliquid impertienti. Tales fuere Abraham, & Iob, & alij innumerabiles. Ostendat noster Ecclesiastes, in hoc, viros nobiles posse veram nobilitatem significare, si egentium hominum, & piorum locorum, curam suscipiant, magis quam si opes infumant in alendis carnibus, & equis & parietibus vestiendis, & in ædificiorum, famulorum & aliarum rerum superfluo apparatu. Septimus locus est quod Eleemosynis debita solvimus, quibus ad pœnas tenemur, etiam post dimissa peccata; Ita Dan. Consilium meum Rex placeat tibi peccata tua eleemosynis redime Eccl. Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna, resistit peccatis. Octauus est etiam opus meritorium nouæ gratiæ, ac iustitiæ, est enim Eleemosyna persimilis illi oleo, quod suis precibus à Deo Elias impetrauit Viduæ, cui etiam dixit vade & vende oleum, & redde creditori tuo, tu autem, & filij tui vinite de reliquo, simul debita soluit, eodemque tempore sibi apud Deum lucrum comparat. Apud Pau. dicitur qui parce seminat, parne, & metet, & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet, qui autem administrat semen seminanti, (Deus scilicet) & panem ad manducandum præstabit, & angebit incrementa frugum iustitiæ vestræ, vt in omnibus locupletati abundetis & paulo ante dixerat, potens est autem Deus, omnem gratiam abundare facere in vobis, & quæ sequuntur. Rectè Augustinus fecundus est ager pauperum, citò reddit donantibus fructum) Similis Terræ, quam seminavit Isaac, reddenti fructum centesimum, & Christus etiam centuplum promittit, Non est potens ad munera, cœlitus obtinenda, non quæ animis duntaxat, sed quæ corporibus etiam profint, & temporibus bonis, modo, in damnum hominum non sint cessura: Eccl. Conclude eleemosynam in sinu pauperis, & hæc pro te exorabit. Decimo plurimum adiumenti, & cōsolationis præbet morituris, qui in pauperes fuerunt misericordes Psal. Beatus qui intelligit super ægenum, & pauperem in die mala liberabit eum Dominus. Tobias eleemosyna (inquit) à morte (scilicet mala) liberat, & ipsa est quæ facit inuenire misericordiam, rectè Ambros. Non sunt hominis bona, quæ secum ferre non potest, sola misericordia, comes est defunctorum Eccl. mitte panem tuum super transeuntes aquas (idest inopes) & post tempora multa inuenies. Non patitur animam ire in gehennam

A a a 4 Tob.

Eleemosyna
satisfacit pro
peccatis.Dan. 6. 4.
Eccl. 3.Est Opus me-
ritorium.

4. Rom. 4.

2. Cor. 9.

Serm. 25.
de Ve. 40.
c. 3.Valet ad be-
neficia reci-
pienda.Plurimum iu-
uat morietes.
Tob. 12.

Eccl. 11.

- Tob. 4.* Tob. esto misericors sicut potueris, primum enim bonum tibi thesaurizas in die Iudicij. Ipsa est quæ assignat locum in Paradiso Eccl. omnis misericordia faciet locum unicuique secundum meritum operum suorum, est enim charitas in Cælo, ut summus Aconomus, in Dei Palatio, distribuens unicuique suas pro meritis sedes. Eccl. Eleemosyna quasi viri sacculus cum ipso, & gratiam hominum, quasi pupillam conseruabit & postea exsurgit, & retribuit illis retributionem, unicuique in caput ipsorum. Undecimò, Nihil aduersus peccata validius, præteritorum curat vulnera, futuris cauendis præmunit, medicina pariter, & antidotum Eccl. Deus prospèctor est eius qui reddit gratiam, meminit in posterum, & in tempore casus sui, inueniet firmamentum, præter hos locos. Poterit aliquando Concionator, diuitum auaritiam arguere, qui erga pauperes non amant, non exercent beneficentiam, ac pietatem, quare sit Duodecimus locus ut proponat diuitibus tanquam primum principium, bona quæ temporalia vocamus, non esse absolute ipsorum, sed Dei dispensatores constitutos ipsos esse, non dominos. Ille plane iniquus, qui non in familiam Domini, dispensat Docent hoc Sancti Patres Ambr. in Luc. ubi inducit diuitem illum auarum ita dicentem, quid iniustum est, si cum alienatum propria dicis? quæ? ex quibus reconditis in hunc mundum detulisti? Quando in hanc lucem ingressus es quando de ventre matris existi, quibus quæso facultatibus, quibus subsidij stipatus ingressus es? & addit proprium nemo dicat quod est communi plusquam sufficeret sumptum, & violenter obtentum est. Nunquid iniquus est Deus, ut tu quidem esses affluens, & abundans, alijs subsidia vitæ deessent, & egerent? Greg. cum quolibet necessaria indigentibus ministramus, sua illis reddimus non nostra largimur, & ideo ait Eleemosynam à Christo vocari Iustitiam, cum ait videte, ne Iustitiam vestram faciatis coram hominibus. Hieron. in illud væ qui multiplicat non sua, idem docet, & confirmat ex verbis Christi apud Lu. si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est quis dabit vobis? Basil. sic ait esurientis est panis, quem tu retines, nudi est vestis, quam in arca custodis, discalceati calceus, qui apud te marcescit. Ber. Nostrum est, quod effunditis, clamant nudi, clamant famelici, nobis crudeliter subtrahitur, quod inaniter expeditis. Saluianus affert illud Prou. 3. honora Dominiuum de tua substantia, Eccl. Catb. & subdit, si deuotus es, da quasi tuum, si indeuotus redde quasi

Contra peccata Antidotum.

Eccl. 3.

Diuites sunt dispensatores non Domini.

Ambr. in Luc.

3. p. pass. adm. 22.

In cap. 2.

Abac.

Lu. 16.

In Diuites

Hom. 1.

Ep. 42.

Cap. 1. de

Eccl. Catb.

quasi non tuum, da si vis redde si non vis.] Vnde etiã sancti colligunt auaros qui sua non communicant egentibus, esse fures iuxta illud. Isa. Rapina pauperis in domibus vestris, sic Basilius, & Ambrosius. Et ego adderem huiusmodi esse hostes boni communis, & totius generis humani, in omnes homines tyrannidis quoddam genus exercentes. Quod autem patres bona diuitum, ipsorum esse negant, non de dominio iustitiæ intelligi debet, quod est inter homines, quomodo negari non potest, hominem habere dominium earum rerum, quas iusto titulo acquisiuit. Sed si consideret se homo, Deum respiciendo, Qui diues est debet Deum agnoscere Dominum omnium suorum, bonorum, se vero eius administrum, atque distributorem. Decimustertius locus est, ex diuitum quorundam in pauperes, crudelitate, quam Concionatores merito possunt exaggerare; vt sancti Patres faciunt, à quibus nos spiritum, ac zelum, in concionando addiscamus oportet, lege Chrysol. vbi exemplum narrat crudelis avari, qui exultante tota vrbe ob spem futuræ annonæ fertilis, solus dolebat, quod non posset suum triticum, quod reseruauit, caro vendere, quem ait dignum fuisse cui lingua excinderetur, qui lapidibus obrueretur, cui etiam pectus, tanquam publico hosti contunderetur. Quid (ait) dolet tibi, non omnes periisse, vt quæstum faceres? Pet. Chrysol. agens de diuite, & Lazaro describit pugnam inter diuitem, ac mendicum Basil. & Ambr. magna eloquentia describunt historiam mendici cuiuspiam, vnum de suis filijs ob extremam inopiam, auaro, & crudeli diuiti vendentis Ambros. etiam fusè agit contra hos auaros, quos similes ait esse Lupis, vestigia Leonum insequentibus vt de præda, & eorum rapinis gaudeant. Decimoquarto, Quando necessitas alicuius familiæ, est valde grauis, explicanda est accommodate ad commiserationem, vt perspecta calamitatis magnitudo, auditorum corda percellat, hic enim est etiam scripturarum sacrarum mos cum ad Eleemosynas largiendas hortantur. Decimoquinto, Vfus Ecclesiæ totius, & Christianæ religionis, qui in charitate præsertim eminet: Olim non colligebantur inter concionandum Eleemosynæ, vt nunc, sed assignabatur dies, & templum vbi arca erat ad eleemosynas reponendas. Paulinus vocat, vas vbi, illæ colligebantur mensam, alij Corbonam. D. Paul. assignat diem Dominicum, quæ est prima Sabbati, De Collectis ait, quæ fiunt in sanctos (id est pauperes Christianos qui erant Hierosolymis) sicut ordinauit Ecclesijs Galatiæ, ita, & vos facite per vnam Sabbati, vnusquisque

Isa. 3.
Basil. in
Diu.
Ambr. de
Nab.

Diuitum aliquorum crudelitas.

Hom. 30.
in 1. Cor.

Ser. 120. et
ser. 124.

In Diu.
l. de Nab.
c. 5.

Serm. 50.
de auth. &
Anania

Tom. 3.
Necessitas pauperum.

Ecclesiæ consuetudo.

Epist. 32.
1. Cor. capit. ult.

Serm. 5.

Scripturæ
multæ.

Patres.

Similitudi-
nes variæ.

Exempla.

Mysterium
diei.Eleemosyna
utilis etiam
rebus tempo-
ralibus.

quisque vestrum apud se reponat, recondens quod ei bene placuerit, ut non cum venero, tunc collectæ fiant. D. Leo habet plures sermones de collectis, & ait ideo dilectissimi, satisfiat Apostolicis institutis, & assignat futuræ collectioni diem Dominicum. Decimosexto, In scriptura sacra, mira, & multa sunt, quæ de eleemosynæ bono dicuntur, poterit noster Orator aliquam ex multis sententijs afferre, ut sic audientes excitet, & habeat parata loca, ut suo tempore delectum habeat. Decimosextimo, eodem modo ex sanctis Patribus insigniora dicta seligat, nec desunt pleraque principum, ac Philosophorum de hac ipsa re apophthegmata. Decimo octavo habeat, & paratas elegantes aliquas de eadem materia similitudines, ut Paulus vocat semen, & multas est reperire apud literas sacras, & sanctos Patres. Decimonono, Valde utile erit afferre præsertim ex historijs Ecclesiasticis exempla eorum, qui in hac virtute fuere singulares, nã exempla plurimum mouent ad exaggeranda quæ dicimus, Romæ in hunc finem editus est libellus, opera Iulij Fulci, qui collectas ex sanctis Patribus multas hac de re sententias, & exempla illustriora complectitur, nec alij desunt eiusdem materiæ libri conscripti. Vigesimo poterit sæpe occasionem arripere ex mysterio vel festo illius diei, ut in Natiuitate Domini, poterit eleemosynam petere ob reuerentiam, paupertatis, nascentis pueruli, cui offerant. In festo Virginis Annunciatae, ob grati animi significationem, cum Deus se ipsum nobis tanta liberalitate fuerit elargitus. In festis Beatissimæ Virginis, quasi ipsa sit quæ petat, vel ut eam sibi quisq; in patronam, & matrem arripiat. Vigesimo primo, Aliquando poterit auditoribus significare, ut illam eleemosynam det, ad donum aliquod impetrandum à Deo, exempli gratia, ut te faciente eleemosynam, Deus suum amorem tibi concedat vel peccatorum remissionem, vel ob reuerentiam, sanguinis Christi, vel ad subsidium præstandum animabus quæ in igne purgatorio detinentur. Vigesimo secundo, poterit docere Eleemosynas non solum spirituales fructus, & cœlestia præmia, secum afferre, sed etiam, in præsentis vita, solitas, sæpe rem domesticam, & opes augere, ut ipsæ scripturæ docent. Item plus pauperem, qui accipit dare largienti quam ipse det pauperi. Vigesimo tertio, sed illud experientia mihi compertum est, maiores colligi eleemosynas, quando in priori Concionis parte, ita commouit Concionator, affectus, & deuotionem accendit auditorum, ut facilè, sit eis eleemosynam erogare pro

pro Dei amore, quem animo conceperunt, etiam si non multum commendatio urgeat. Vigesimoquarto Cypr. patrimonium Deo creditum, nec fiscus inuadit, nec calumnia aliqua forensis euertit; In tuto hereditas ponitur quæ Deo custode seruetur. Hæc possent videri satis, sed placet adhuc addere multiplicem variarum rerum supellectilem, ne eadem cantinella sapius decantata animos ad pietatem obduret, aut aures obtundat.

De opere & Eleemosyna.

Pro commendandis Eleemosynis varia dicta.
Cap. VII.

Primo nunquam minuuntur opes, eleemosynas largiendo Clem. comparat Eleemosynam scaturienti puteo, qui etsi haurias multum, denuo scaturientibus & recentibus aquis repletur, & vberibus quæ si mulgeantur, rursus nouo lacte abundant. Basil. similem esse ait frumento in terram proiecto, quod cum fenore redditur.

3. pad. c. 7.

In Diu. Hom. 1.

Secundo, eleemosyna est quæ clauis habet cæli, Salomon fecit ostia Sancti Sanctorum ex lignis Oliuæ quæ misericordiam Symbolum est, & Christus in Cælum ascensurus Oliueti montem subijt. Vnde est illud Beati misericordes quoniam ipsi misericordiam consequentur.

Eleemosyna aperit Cælum.

Matth. 5.

Tertio, qui pauperi dat pecunias Deo feneratur, nulla præter hanc, licite exercetur vsura, Feneratur Domino qui miseretur pauperi, estque planè grandis vsura, vnum dare vt centum recipias. Adde alijs feneratoribus quatuor onera subeunda esse. Primum molestia conficiendi tabulas, vt constet ratio dati, & accepti, Secundum est infamis inter homines opinio; Tertium cruciatus conscientie, Quartum necessitas restituendi. Contra Noster fenerator, nec rationum cura operatur sed dicit vt Paulus, scio cui credidi, & certus sum quia potens est depositum meum seruare, magnam verò laudem apud Deum, hominesque consequitur, conscientie magna quiete, & gaudio fruitur, Denique Deum habet debitorem.

Qui eleemosynam confert, exerceat se cum Deo. Pro. 19.

Quarto, dici potest hæc eleemosyna quam erogatis Vectigal quoddam, à Christo Domino impositum ex charitate animoque prompto soluendum, Pauperes, qui pro foribus astant, vel in via occurrunt, vel qui pro eis colligunt, exactores sunt ab eodem Christo destinati ad hoc tributum colligendum. Ego verò Concionator præpositus sum exactoribus, & operi,

Est Vectigal à Deo impositum.

operi, nollem meam hic diligentiam desiderari, ne conque-
ratur Dominus: qui exigunt magnificiant suas partes merce-
dem à Christo reportaturi, qui petuntur tribuant non vt exa-
ctiorem, sed vt benedictionem.

Finis Dei in
eleemosyna
statuenda.

Quintò in statuendis eleemosynis duplicem finem potuisse
Deum habere asserit Chrysostomus vel in beneficium paupe-
rum, vt inopia subueniretur, vel in gratiam largientium vt
præmium reportarent virtutis, & gloriæ, hunc autem secun-
dum finem, ait Chrysostomus esse Deo præcipuum nam ob pri-
mum non defuissent Deo Thesauri multi, quos sub Terra no-
uit absconditos possidetque vim terræ tribuere ad fruges semper
copiosas progignendas, verum ita voluit Diuina prouidentia,
vt essent qui paupertatis molestias paterentur ad patientiæ
vsum, & præcepit diuitibus vt eos subleuantur ad exercitatio-
nem charitatis.

Diuites imi-
tentur flumi-
na.

Sextò, diuites flumina imitentur, quæ de mari exeunt, & ir-
rigant fecundantque campos, & tandem in mare redeunt,
ita diuites, à Deo suas agnoscant opes, inopum familiarum,
terram irrigent arentem, vt in morte rursum ad mare diuini-
tatis, præmium accepturi redeant.

Diuitiæ sunt
stercora.

Philip. 3.

Septimò, quare D. Paulus omnes opes stercora vocat cum
ait omnia arbitratus sum, vt stercora? planè hæc stercora ne-
quaquam debent intra arcas seruari, quia suo fetore totam
domum inficerent, sed ea est vtilitas, vt per campos projiciantur
ad ferendos vberes fructus Chrysost. si quis ait propter
parsimoniam frumentum domi situm non consumpserit, nec in
terram iecerit id vermibus exedendum tradit, sin autem disper-
serit maiorem messem colliget.

Theriaca cõ-
tra venenum.

Octauò, eleemosyna est antidotum, & maximè vtilis The-
riaca contra venenum Auaritiæ, In componenda Theriaca,
adhiberi solent carnes Viperæ, quæ licet veneno infectæ sint, ta-
men venenum, si diuidantur, extinguunt, Ita planè pecunia est
magna multorum pernicies, quos, tanquam veneno infectos
enecat, dum ei obediunt, & cupiditatibus, & à Paulo dicitur

1. Tim. 6.

omnium malorum radix, & tamen ipsa eadem est quæ reme-
dium afferat si diuidatur in pauperes, vt Christus docuit, fa-
cite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defece-
ritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Audi quæso confi-
lium vtile, Damnatus es in pecunijs tuis, redime te pecunijs
tuis, de instrumento Auaritiæ, & libidinum fac instrumentum
misericordiæ.

Aliqui pro-
digi cū mun-
do Auari cū
Deo.

Nonò,

Nono dicendum est mundanos homines, esse mundo, ac Dæmoni prodigos, avaros Deo. Exod. Pro vitulo aureo, idest, Exod. 31. pro Idolo dederunt aurum, & gemmas, quæ nescio, an vero Deo pro pauperum necessitatibus obtulissent.

Decimo Petrus Chrisol. manus (inquit) pauperis, finis est Abraham, ubi quicquid pauper acceperit mox reponit. Thesaurus cæli est manus pauperis, quod suscipit, ne pereat in Terra reponit in Cælum, da ergo homo pauperi terram, vt accipias cælum, da nummum, vt accipias regnum, da micam, vt accipias totum, clamat Deus misericordiam volo. Discurus causam, in iudicio Dei, patronam tibi misericordiam assume, & misericordiam consequeris]

De Ieiun. et ele. ser. 8. Misericordia patrona apud Deum.

Vndecimo Deus ad Isaiam loquitur, clama, ne cesses, eratq; adeo iratus, vt nec ieiunijs eorum placari vellet cum dicerent, quare ieiunauimus, & non aspexisti; humiliuimus animas nostras, & nescisti? Quid ergo ad auertendam Dei iram superest remedij? ipsemet Deus docet frange esurienti panem tuum, & egenos vagosque induc in domum tuam, &c. & subdit. Tunc erumpet quasi mane lumen tuum; Tunc inuocabis, & ego exaudiam.

Isa. 50.

Ad Dei iram auertendam.

Duodecimo affert eleemosyna magnam animæ securitatem, & quamuis de sua salute in hac vita, nemo possit esse securus. Est tamen eleemosyna magnum huius salutis indicium. Tob. Eleemosyna à morte liberat, & facit inuenire misericordiam, & vitam æternam; Vide quantum priuilegium. Quod si afferas Paulam dicentem si distribuero omnes facultates meas in cibos pauperum charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Respondeo loqui Paulum ex quadam positione, nempe si ita eueniret; Ego autem dico vix hoc futurum Eccl. à misericordibus omnia hæc auferentur, & in delictis non volutabuntur.

Securitatem animæ affert.

1. Cor. 13. Eccl. 23.

Decimotertio, D. Paul. citat Christi sententiam beatius esse dare, quam accipere; res est planè illustris dare, in qua tota natura nobis præbet exemplum, Cæli dant lumen, & alias occultas vires, ignis calorem, aer, auram spirabilem, Terra tot fructus, mare tot pisces, animalia dāt lanas, lac carnes; pater æternus dat filio suam naturam pater, & filius eandem Spiritui sancto; Tota Trinitas homini tot creaturas contulit, filius nostræ naturæ suam personam, dat nobis in venerabili sacramento suū corpus, communicat cælestem gratiam, multiplicia donā. Turpissimum igitur sit, si nos qui ab omnibus creaturis, & Deo tam multa

Beatius est dare, quā accipere. Act. 20.

Exemplum.

multa recipimus non etiam discamus, largiri, non habentibus, quæ possumus.

Eleemosyna
cum verbo
Dei iungenda.

Decimoquarto, Concionator perinde est, ut qui adornat conuiuium, & inuitat multos, ad ipsum pertinet proponere in mensa varios cibos, & scite paratos, ut conuiuia vescantur, hoc igitur ad me spectat, sed cibus sine potu vix placet, potus est, mensa iudice, pium eleemosynæ opus, quod mirifice adiuuat comestione, solet autem in conuiujs, magna cura adhiberi, ut vinum exhibeatur eximium, hoc vero ad vos spectat, ut ad me de cibarijs prouidere, ergo ut vobis, quæ propono cibaria proficiat, bibite alacriter, & haurite de optimo vino.

Excusant alii
qui filios.
Escr. 4.

Decimoquinto, aliqui sunt, qui filijs carent, & tamen sunt auaritia dediti nesciunt cui congregant, quod apud Salo: dicitur, quid pessimum, Considerans (ait) reperi, & aliam vanitatem sub sole, vnus est, & secundum non habens (id est heredem) & tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi eius diuitijs, nec recogitat dicens, cui laboro? Dices, si prolem Deus concederet, ego libenter largissimam offerrem eleemosynam. Audi quæso quisquis es. Ut video haud maioris Deum facis, quam hominẽ, quasi vero contrahendum sit cum Deo, velut cum homine certis conditionibus. Ne quæso dicas, do, ut des, irreuerenter cum Deo, ita te geris, sed audi me quæso. Da prior, deinde ora Deũ, ut si ad eius gloriam tuamque cessurum sit salutem, quod concupiscis obtineas, & si res ad votum cesserit, age gratias, sin aliter, non deerit in cælo palatiũ, sicut Romano Ciui contigit, qui templum S. Mariæ Maioris, extruxit, & Beatissimam Dei matrem heredem instituit.

Eleemosyna
cum Ieiunio.
Chrisol. de
fec. & ele.

Decimosexto, Pet. Chrisol. Talis est (inquit) eleemosyna comparata ieiunio, quale est Ver telluri, oleum lucernæ, sol Dici, anima corpori, quia sicut sine anima perit corpus, sine oleo lucerna extinguitur, sine verè tellus non germinat, sine sole non est dies, sic ieiunium, & oratio absq; eleemosyna, sed sicut in verè floret tellus, cū oleo splendet lucerna, ad presentiam solis fit dies corpus cum anima viuit. Ita ieiunium, & oratio cum eleemosyna.

Ioannis eleemosynarij
sententia.

Decimosextimo, S. Ioannes appellatus cognomento Eleemosynarius Patriarcha Antiochenus, vocare solitus fuit pauperes, dominos suos, quia ipsi ei opem ferre possent, ne à Dei regno excluderetur.

D. Francisci
sententia.

Decimooctauo, D. Franciscus teste Bon. in eius vita fratribus suis solebat dicere, ut nullo modo eleemosynas mendicare erubescerent, quia maiora ipsi largiebantur, quam acciperent, & dantes

dantes ipsi copiosius ditabant, & dicebat hanc esse nobilem, prodigalitem, quæ pro pane, diuinum redderet amorem, ut si quis pro pane daret aureos decem, & addebat eo tempore, quo refrigebat hominum charitas, Mendicantium religiosos ordines institutos, diuino consilio, & beneficio, ut hac occasione, homines diuina charitate ditescerent.

Decimonono, Nescio an audiueritis aliquando discrimen, quod inter Dialecticam, & Rhetoricam aliqui Philosophorum constituerunt Illa comparatur manus constrictæ hæc dilatata. Ita video in danda eleemosyna placere aliquibus ut sint dialectici, magis quam Rhetores. Certè in hac nostra schola Rhetoricam facultatem profitemur non Dialecticam. Itaque seruandū est, quod de muliere forti prædicat Salomon, manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperes.

Vigesimo, Diuites auari similes sunt Ericio, qui ingressus forram, in quò bestiolæ, quædam latebant, inflatus, ac spinas erigens & per cauū illud incedens dicebat, qui manere potest maneat eo pacto, expulsis contubernalibus solus domicilio fruitur. Ita planè dicere possumus aliquibus auaris, assidue coaceruatibus opes, nunquid vos soli regnabitis super terram? nullusne reliquus erit pauperibus locus? Verum est tamen etiam illud, malè cadere ouibus inter spinas, facilius, erit, ut de lana sua, aliquid spinis adhaereat, quam pabuli quicquam ipsæ inueniant.

Vigesimo primo, vereor ne aliqui vestrum similes sint equis conducticijs, qui assueti calcaribus, quamuis urgeat eques vix ab assueto gressu dimouentur. Ita quidam toties audierunt Concionatorem, eleemosynas flagitantem, ut iam callum in auribus obdlexerint.

Vigesimo secundo, Serapion fuit adeo in pauperes pius, ac liberalis, ut omnia dederit sibi vestem referuans, & librum Euangelij, quem legeret, deinde etiam vestem donauit, & seminadus incedens rogatus, quis eum veste nudasset, manu librum Euangelij ostendens, En (inquit) qui me spoliavit. Rursum etiã librum vendidit, ut pecuniam pauperi largiretur, dicebatque illius se libri lectione multis rationibus, ita se ad misericordiam impulsam, ut etiam ipsum librum in eundem finem diuendere placuerit.

Vigesimo tertio, vellem à vobis scire, utrum sit magis rationi consentaneum, ut diues quærat pauperem ad erogandam ei eleemosynam, an pauper diuitem ad petendam. Mea quidem sententia equius videtur primum, quis enim dubitare queat longè

Discrimen inter Rhetoricum, & Dialecticum.

Auari similes Ericio.

Isa. 5.

Exemplum Serapionis.

Diues quærat potius pauperem, quàm contra.

Ho. 33. &
sequent.

Prou. 22.

Habitus dādi
eleemosynā.

Exemplum
B. Catharinæ
Senensis.

Ser. 5. de
uer. Dom.
In cap. 7.
Eccel.

longè plus diuitem . lucrari dando , quam pauperem accipien-
do , vide Chryf. Vera ait eleemosyna est sic dare , vt gaudeas te
dare , putans te accipere magis quam dare , non enim tam pau-
peribus , quam nobis profumus plura accipientes , quam dan-
tes] in Prou. dicitur diues , & pauper obuiauerunt sibi , vtriusq;
operator est Dominus , quæso te vter fortunator in hoc occur-
su est? sine dubio diues , quia pauper Christum representat , &
Christo datur quicquid in pauperem erogatur .

Vigefimoquarto , cuperem ipse scire , & optarem vos , id etiā
nosse , vtrum habitum illum dandi eleemosynas adhuc vobis
comparaueritis . Vnde hoc (inquires) sciri potest ? Aristotelis
sententia est , signum possidentis habitum , esse facilitatem ope-
randi , In promptu iam est modus faciendi periculum , si facile ,
ac promptè dabitur , quod peto , signum habitus est , nec opus
erit , vt ego multum vos incitem , quod si nondum habitum estis
consequuti , quid iā remedijs? certa eiusdē est Arist. sententia per
frequentatos actus acquiri , & perueniri ad habitum , date ergo
vt aliquando perueniatis , sicut fabricando fabri fiunt homines .

Vigefimoquinto , Beata Catharina Senensis , quæ ad pauperes
cor habebat pietissimum , cum aliquando roganti pauperi ,
nil quod donaret , haberet , domi diligenter querens paruulam
argenteam crucem inuenit , quam inopi continuò porrexit ;
Noctu Christus ei apparens , ostendensq; illam crucē , In die (di-
xit) iudicij , se crucem illam publicè ostensurum , in testimoniū
pietatis sicut , & D. Martino apparuit , veste indutus , qua pau-
perem contexerat .

Vigefimosexto , August. Mendici (ait) Dei sumus , vt agnoscat
ille mendicos suos agnoscamus nos , & nostros .

Vigefimosextimo , Ambr. in illud sicut aqua extinguit ignem
ita eleemosyna resistit peccatis . comparat eleemosynam aquæ
baptismi . Eleemosyna , inquit , quodammodo est aliud animarū
lauacrum , vt si quis fortè post baptismum humana fragilitate
deliquerit super sit ei , vt iterum eleemosynis emundetur .]

Ad Idem alia dicta . Cap. VIII.

Videbor fortè alicui prolixior si assignatis pluribus locis
adiungamus , & alios , verum quoniam hæc non doctrinam
continent , quæ Concionatorem in suo munere erudiant , sed for-
mulas solum eleemosynæ commendandæ , non est quod lectorē
in legendo retardent , satis erit cum concionem est habiturus
Ecclesiastes aliquid ex his eligat , nisi melius quid in mentem
venerit , facile crediderim non futurum superfluum laborem ,
his,

his, qui eadem in Ciuitate per multos annos Concionari, consuetudinem hanc eleemosynam commendandi, seruare debent, vt ego ipse Romæ sum expertus, propterea addemus & alia quæ occurrunt.

Primo, Christi verbum est, Quod superest date eleemosynam. Sed aliqui statim fortè dicent, mihi nihil superest, multa potius defunt. Hæc vox posset nasci ex cupiditate, cui nihil est satis etiam si omnium opes in vnum congerat. Vnus Pelleo iuueni non sufficit orbis (ait Poeta) sanguifuga est auarus, qui semper ait, affer, affer. Sed si liber, date mihi hanc facultatem, concredite mihi clauas, vt solum ex arcis, extraham superuacanea, & ego promitto me ex necessarijs nihil dempturum, me tamen plurima lucraturum spero in gratiam inopum, & magnum vobis quæstum facturum.

Secundo, aliqui ab eleemosynis tribuendis, filiorum charitate se retardari dicunt, quibus seruare suas pecunias volunt. Certè non veto quin filijs necessaria prouideatis. Sed inter filios moneo vt etiam Christum numeretis. August. audi, Christus petit, & non accipit, & dicis: ecquid seruo filijs meis? Christum illi oppono, filios suos mihi reponit, ista ne verò magna iustitia vt habeat vnde luxurietur filius tuus, egeat Dominus tuus? non legisti, Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis? non aduertisti, Quod vni ex minimis meis non fecistis, mihi non fecistis, non legisti, non timuisti? Ecce quis eget, & filios tuos numeras, postremò numera filios tuos, adde vnum illum inter illos Deum, vnum habes, sit ille secundus, duos habes sit ille tertius, tres habes sit ille quartus.

Tertio, aliqui dum viuunt eleemosynam pauperibus denegant, vana quadam spe delusi, quod in morte sua pauperes heredes faciant, sed sancta Lucia matri suæ dixit, non esse magnum momenti, vt quis ea Deo offerat in morte, quæ secum ferre non potest, & velit, nolit sit relicturus, & addit facem accensam, vt lucem præbeat, præ se, non retro esse ferendam. Itane tunc vis esse cum Deo liberalis, cum eris saccus vermiû? & non aduertis non esse bonum negotiari in nundinis; quando iam est finitus mercatus, & elapsum opportunum nundinarum tempus?

Quarto, ego arbitror inter miracula maximum esse, mortuos suscitare, hoc miraculum à vobis hodie expecto, non temerè loquor. An non sunt pecuniæ mortuæ, quæ in arcis, & marsupijs occlusæ seruantur, communis hic est loquendi mo-

B b b dus,

Luc. 11.
Lex Christi.

Christo datur eleemosyna in pauperes.

De discipl. Christi. c. 8.

Memoria mortis.

Eleemosyna est miraculū magnum.

duc, educite iam è sepulchris mortuos, vt per vos viuant, & pauperes per illas viuant, & vos etiam apud Deum viuatis.

Locus Prou.
de muliere
forti.

Prou. 31.

Quinto, libenter docerem vos hodie quoddam opus, oppido nobile, quod celebrat Spiritus sanctus in Prouer. De muliere forti illa cuius pretium procul, & de vltimis finibus est, quod nam est hoc opus? quæ fuit lanam & linum, & operata est consilio manuum suarum. Ita ne? tam magnum quid est hoc? Ita planè accinxit fortitudine lumbos suos, & roborauit brachium suum, manum suam misit ad fortia; & quidnam tandem istud est? Digiti eius apprehenderunt fusum, nendi laborem inter fortia, & heroica facta enumerat. Quid autem intelligat mox subdit, Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem. Non pudeat, fortes viros opus hoc exercere; summa est enim animi fortitudo non esse pecuniarum seruum, sed eis dominari.

Natura horret vacuum.

Sexto, natura omnino vacuum horret, & ne vnquam tale quid eueniat, miranda præstat quadam. At multo magis Gratia vacuum horrere debet, certè inter familias inopum, est inuenire multam inanitatem, cum non habeant cibos, vestes, pecuniam ad vitam tuendam. Vestrum est ò diuites, implere vacuum. Ac sanè portentum est, gratiam id in homine non efficere, quod in rebus sensu carentibus operatur natura. Neque timeas ò diues, ne ex largitionibus fiat in tua domo vacuitas, adeò enim te amas, vt non appareat huius rei periculum, vtinam ex charitate vacuum fieret, Deus enim multis bonis cumulatè replet.

Musica est
verbum Dei
cum eleemo-
syna.

Septimo, cum ad templum diebus festis convenimus, & ad Concionem, perinde est, atque ad suauem musicam accedere, quæ constat ex vocibus & instrumentis musicis, meum est vocibus canere, vestrum est instrumenta pulsare; ego concionando, vos instrumenta tangendo. Non reddunt autem suauem harmoniam paruula pecuniola, nisi sint eis similes, quas inops illa Euangelij vidua in gazophylacium misit, meliorem efficiunt aurei, sic fiet illud, Sumite psalmum, & date tympanum, psalterium iucundum, sed cum cithara.

Psal. 80.

Exemplum S.
Ludouici.

Octauro, Ludouicus sanctissimus Rex Gallia, cum esset valde pauperum amicus, volebat inter prandendum, eorum aliquos sibi presentes semper adesse, qui etiam & ipsi vescerentur, quibus de regia mensa cibos ministrabat, ita credo, imaginabatur Christum se habere conuiuiam, solebat etiam sæpe dum famuli pranderent, ipse suis manibus pecunias ex-

peccantibus distribuere pauperibus, & illos esse dicitabat suos milites, qui regnum defenderent, & se idcirco illis stipendia soluere.

Nono, Iustitia in æqualitate sita est. Dubitatio suboriri posset, quomodo ergo Deus iustus, vni multa bona concessit, alteri paucissima. Responso est, Deum ex magna providentia, voluisse aliquos esse diuites, alios pauperes, cuius rationes, & causas nunc assignare non est necesse, illud dicamus Deum dedisse aliquibus vberem rerum copiam, vt non ipsis solum esset vsui, sed toti familiæ hominum, hac enim ratione rectè æqualitas constituitur, vt Paulus ait, In præfenti tempore, vestra abundantia, illorum inopiam suppleat, vt & illorum abundantia, vestræ inopiæ sit supplementum, & fiat æqualitas.

Decimo, in morte non proderunt opes & amici, sed misericordia, & pietas. Scribit parabolam Dam. in vita Barlaam, & Iosaphat, cuiusdam qui tres habebat amicos, duos semper magni fecerat, cum tertio modica erat illi familiaritas, contigit, vt ante Imperatoris tribunal vocaretur, rationem redditurus decem millium talentorum, qui in angustijs positus, cum ad primum amicum confugeret, vt sibi ferret opem, molesto reiectus est responso, quasi eum vix nosset, obtulitq; ei nescio quas vestes, perrexit ad secundum, à quo etiam durè acceptus, solum audiuit se ei comitem futurum in via, sed statim relicurum. Tandem etiam tertium adiit, cui valde pauca beneficia contulerat, hunc verò, sibi valdè fauentem reperit, explicat Barlaam parabola sensum. In morte futurum, vt omnes diuitiæ nos deserant, quas tamen tanto amore profecuti sumus in vita, vix inutiles quosdam panniculos, ex omnibus bonis ad sepulchrum delaturos, hic erat primus amicus. Item omnes consanguinei, & familiares nos deserent, tantum poterunt cadauer comitari, hic erat secundus. Tertius qui nos consequitur, & ante Dei tribunal causam nostram defendit, sunt bona opera, quæ præsertim in pauperes contulimus.

Vndecimo, magnam debent præbere consolationem viris ad misericordiam propensis, verba Hieron. & August. Illius testimonium est, nunquam memini me legisse, mala morte defunctum, qui libenter opera charitatis exercuit, habet enim multos intercessores, & impossibile est multorum preces non exaudiri. Huius verba sunt, sola misericordia ad Deum de-

Eleemosyna facit iustitiã & æqualitatem.

2. Cor. 8.

In morte eleemosynæ profunt, non opes.

Hieron. ad Nepot. August ad fratres in her. ser. 44.

ducit hominem, sola Deum deducit ad hominem, numquam vidi piū hominem mala morte finiri.

Insignia nobilium, opera misericordie. *Prou. 3.*

In epist. ad Philipp.

Luc. 6.

Misericordia expugnat cælum.

Hom. 1. in epist. ad Rom.

Diues auarus. De Nabu. the c. 4.

Auari quibus similes.

Duodecimo, opera misericordie sunt insignia, & ornamenta eorum, qui filij sunt nobiles, & illustres Dei. Est ipsa eleemosyna torques aurea: A Salomone dicitur, Eleemosyna & fides non te deserant, sed appende illas collo tuo. Quæ verba explicans Chrysofost. Sicut, ait, filij Principum torques aureas, & catenas gemmis ornatas collo appendere solent in signum nobilitatis, ita planè qui filiorum Dei adoptione gaudent, libenter his opibus & ornamentis fulgent, tanquam filij eius, qui misericors est. Elote (ait Christus) misericordes, sicut & Pater vester misericors est.

Decimotertio, est eleemosyna validissima ad cælum expugnandum, non solum quærit vt facit ieiunium, non solum petit vt oratio, sed peruenit ad ipsas Paradisi fores, & magnavi pulsât, adeo vt statim ad aperiendum Angeli accurrant. Illa moneta quam pauperi porrigis, statim in prægrandem malleum vertitur, quo cæli ianua percussa panditur, sicut quandoq; nobilis quispiam quæritur, nec inuenitur, licet sit in suo palatio vocatur & non respondet, sed vbi palatii fores vehementius pulsantur; statim ad fenestram accurrit, & si non statim palatium iubet aperiri, respondet tamen. Ita facienti eleemosynas, si non continuò Deus cælum dat, non deerit interim diuina consolatio, & fauor de cælo.

Decimotertio, Chrysofost. his qui dolent non statim sibi à Deo reddi eleemosynarum mercedem (ait) sceleratores libentius pecunias suas scænorè dare his, qui non cito reddant, quia sciunt ex mora temporis scænorè crescere; ita maior erit misericordie merces, si post mortem reddatur.

Decimoquinto, Ambr. noui ego ait diuitè in agrum proficiscentem, panes breuiores Vrbe delatos numerare solere; vtq; pro numero panum estimaretur quot dies in agro futurus esset, nolebat obsignatum aperire horreum, ne quid de condito minneretur, panis vnus singulis diebus deputabatur, qui tenacem vix satiare posset. Comperi etiam viri fidem, si quando ei ouum esset appositum, conqueri quod pullus esset occisus, subdit Ambr. hoc ideo scribo, vt cognoscatis vindicem esse Dei iustitiam, qua lachrymas pauperum vestro viciscatur ieiunio.

Decimosexto, aliqui auari diuites similes sunt quibusdam vasis fictilibus omni ex parte clausis, modicam tantum rimulam

milam in fronte habentibus, per quam pecuniæ facili negotio intronantur, sed peragrè quicquam extrahitur, ubi verò vas plenum fuerit, frangitur, vt pecuniæ depromantur, sic auarus ad recipiendas pecunias habet expeditissimas manus, ad erogandas pauperi agras, ac debiles, sed in morte velit nolit, omnia effundet, ex quo vulgari versiculo carpitur, Auarus nisi cum moritur, nil rectè facit.

Decimoseptimo, Diuus Franciscus antequam religiosam vitam aggrediretur, valde ad inuandos egenos pronus erat, adeo vt velut nomine prodigalitatæ fuerit à patre coram Episcopo Assisij accusatus. Aliquando petenti pauperi ob amorem Dei, cum nil dedisset, conscientia stimulante, non solum reuocauit, & elemosynam tribuit, sed ex eo tempore statuit, numquam se deinceps negaturum. Hic primus pietatis ardor, videtur mihi fuisse maximæ sanctitatis fundamentum, ad quam euectus est.

Decimooctauo, vos qui habetis libros rationum, dati, & accepti, vellem scire, ubi nam elemosynas scribatis, inter ea ne quæ expenditis, an quæ acquiritis? Dubium est probabile, quia dantes ditescitis ita, vt aptius inter accepta referri debere, iudicem, cum longe plus pauper det, quam recipiat, sed puto aliquos, hac se cura liberare, cum adeo modica præbeant egentibus vt pudeat, ea in codicem referre.

Decimonono, commendo vobis hodie charissimi, amore huius pauperuli, qui in cruce pendet nudus, vulneratus, felle, & aceto potatus, pauperes, & scitote esse fratres eiusdem Christi, ipso dicente, Quod vni ex minimis fratribus meis fecistis, mihi fecistis.

Vigesimo, Cosmas Mediceus, qui fuit Magnorum Ducum Hetruriæ primus, multa expendebat, vt opem afferret egentibus, cuidam igitur ex familiaribus, eum nimis liberalem appellanti, respondit, se in libro initarum cum Deo rationum, dati, & accepti, numquam potuisse, eo peruenire, vt quæ deberet Deo solueret, nam quo plura dabat, etiam eo plura recipiebat, semperq; inueniret se debitorem. Deum verò creditorem, magnifica plane oratio, & digna summo Principe; quam videbatur ex sancto Nazianzeno didicisse, qui, numquam inquit Dei liberalitatem, & beneficentiam vinces, quamuis omnium tuarum facultatum iacturam

Exempli S.
Francisci.

Libri ratio-
num.

Pauper Chri-
stus in Cru-
ce.

Exemplum
Cosmæ Medi-
cei.

Oratione de
amore paup-
rum.

Ibidem.

curam feceris, quamvis te etiam facultatibus adieceris, nam hoc quoque ipsum accipere est; Deum aliquid nobis donare, & addit Nazianzenus duas similitudines preclaras, unam ymbrae, quae numquam potest corpus praegredi, cum simul ea ad progressum corporis progrediatur. Alteram capit super quod membra caetera, nunquam possunt excrecere, cum quantumvis illa augeantur, semper caput item attollatur atque superstet.

Eleemosyna
signu electo-
rum.
ad Col. 3.

Vigesimo primo, misericordiam, & pietatem esse propriam virtutem sanctorum, & signum praedestinationis. Paul. docet: Induite vos sicut electi Dei sancti, & dilecti viscera misericordiae nota titulos, electos vocat & sanctos & dilectos.

Luc. 6.

Vigesimo secundo, si quis vellet a Deo dona, habet a Christo doctrinam. Date, & dabitur: sunt duo quasi fratres uterini (Date, & Dabitur) unus ab altero non potest separari, si ex tua domo discedat unus qui est Date, etiam alter cuius nomen est Dabitur, non manebit, Nolite separare, quos Deus coniunxit.

*Hom. 2. in
Diu. Aug.*

Vigesimo tertio, Basil. Vidi (ait) ego multos ieiunantes, orantes, suspirantes, Denique sine sumptu pietatem ostendentes, egenis vero, ne obolum praebentes, quid his caetera virtutum, diligentia prodest? non propterea regnum Dei consequentur.

*Eccli. 35.
De amore
pauperum.
Ser. 1. de
Collectis.*

Vigesimo quarto, Deus praecipit ut in omni dato hilarem facias vultum tuum: Optime Nazianz. beneficentiae gratia, promptitudine geminatur. Leo, nobis praestamus, inquit, quod alijs erogamus.

*Hom. 2. in
die.*

Vigesimo quinto, Basil. contra eos qui sua in vanis sumptibus expendunt, Quid miser (ait) iudici respondebis? parietes vestis, homines non vestis? equos phaleris ornas fratrem tuum laceris amictum pannis aspernaris? Frumentum retinendo perdis, esurientes non respicis? aurum in terram condis & oppressum non curas?

*Hom. 48.
in Gen.*

Vigesimo sexto, Chrysostomus omnia faciamus ne alibi egeni simus futuri: nam quae utilitas in aliena regione multas divitias relinquere, in patria autem necessarijs carere? Itaque oro festinemus, dum adhuc tempus est, ut illuc transferamus, etiam quae in hac aliena habemus. Facilis transvectio est, securè illuc transferimus, & in thesauro indepraedabili reponimus, quaecumque per pauperum manus praemitti-

mittimus.] hæc ille.

Vigesimo septimo, Bonauen. cum occurreret (ait) Franciscus cuidam pauperi satis misero, ad socium dixit, Oportet vt mantellum meum reddamus pauperulo huic, nam ipse est, mutuo enim ipsum accepimus donec pauperiorem inuenire contingeret, & socio obfistente dixit, pro furto mihi reputo à magno eleemosynario imputandum, si hoc quod fero non dederò magis egenti.

Vigesimo octauo, quæso vos, semper ne oportebit me vt gere ad eleemosynas conferendas? nolim vos boues imitari, qui nisi stimulis vrgeantur vix mouentur. Vestra vos charitas, vestra pietas vehementius incitet. Zaccheus ad Christi præsentiam ita commotus fuit, vt diceret: Ecce dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus, & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum, bene, & vos dimidiam partem pecuniarum possitis sine scrupulo extrahere earum, quas crumena conseruat. Hactenus dictum sit de hoc opere & vsu eleemosynas commendandi tam illustri, & vtili. Libet postremo loco, hic admonitiunculam adijcere.

Cauendum esse diligenter Concionatori, ne detrimenti quippiam apud ipsum hac in parte, intentionis sinceritas patiatur, ex aliqua fortassis aura populari, verendum est enim, ne ex hoc nominis sui prædicationem appetat in Vrbe, sine aduerti quosdam gloriari & iactare magnas quas colligunt eleemosynas, maioresq; quam alij, periculum plane est, ne charitas degeneret in vanitatem, & videat diligenter, ne sibi illud conueniat, neque inter eos numeretur, de quibus dicitur: Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Non tam parui faciat futuram quam à Deo sperare potest mercedem, pro hac erga pauperes exhibita misericordia, si solo Dei amore id faciat, & pietate erga inopes, qua Deus tantopere delectatur, vt pro leui aura, & inani gloria velit eam amittere, & damnum inde reportare vnde multum lucri referendum fuit. Optimum consilium darem, vt omnem adhibeat diligentiam, & media exquirat, quibus ad hoc tam sanctum opus alios excitet. Sed neque in suggestu, neque extra illud, copiosas eleemosynas quæ sunt prædicet, ad omne periculum inanis gloriæ euitandum, cui facile est subiacere prædicatores, cum res egregiè succedunt. Illud etiam cauendum est, ne in hac pauperum commenda-

Bbb 4 tione

In vita S.
Francisci.
c. 8.

Exemplum
Zachæi.
Luc. 19.

Admonitio,
vt in hoc opere vanagloria fugiatur.

tione aliqua scurrilia afferantur, habent quidem hic locum dicta quaedam hilariora, tum quia reficiunt nonnihil fessum auditorem. Tum quia odiosam naturæ nostræ corruptæ, rem, tamquam condimento mitigant, tum quia hilaritas dilatat homini cor, & est quasi clavis liberalitatis, lubentius enim nostra damus, cum hilares sumus quam tristes, tamen ubique & semper meminisse nos oportet, & maiestatis loci in quo sumus, & personæ quam sustinemus.

In media Concione, vel alijs locis quadam monenda ad Christianam vitam praxim pertinentia.

Cap. I in X.

Absoluta priore Concionis parte, dum elemosynæ conquiruntur, ut moris est, in pluribus locis, solent aliqui Concionatores cum fructu, non quidem semper, aliqua tradere monita pro suggestu, quæ ad cultum Christianæ pietatis, & vitæ spiritualis praxim faciunt. Arbitror me adiuventi aliquid, futuris Concionatoribus allaturum si in hac tertia parte quam dixi, ut appendicem hic additam, summatim capita quaedam recensuero, aliquarum rerum, quas commodè proponendas censeo. Quod ut facerem duæ me res impulerunt, primum quod videam, rarè à plerisque Concionatoribus hæc afferri, vel quia forte minutiora videantur, vel quod non faciè sit, huiusmodi monitis locum inuenire in Concionibus quas multa rerum aliarum eruditione replent, aut verborum copia, & florida ornant eloquentione, cum tamen quæ hic afferemus, & magis quam cætera necessariam continent doctrinam, & ad profectum Christiani populi maximè opportuna videantur. Secundo, quod multorum annorum quibus in hoc munere sum versatus experientia rerum magistra didici, ex huiusmodi monitis, plus sæpè utilitatis existere, quam ex reliqua Concione tota, & ipse sum testis, ea grater, audita, & scriptis etiam à multis fuisse excepta. Neque hic à me expectet aliquis seriem omnium, quæ ad hanc praxim referuntur, aliqua proponam, eaq; simplici stylo, & valde familiari, quemadmodum etiam populo proponenda videntur. Neque est animus ita hic scribere omnia, eo modo quo populo in suggestu proponerem, sed insinuare solum, & Concionato-

ris

ris ingenium, & industriam excitare. Quamquam non incongruus erit ordo quem subiciam. Aliqua ex his movent; quomodo se quisquam erga Deum gerere debeat, alia quales esse debeamus tum erga proximos, tum erga nos ipsos. Adiungi etiam possunt nonnulla, quae tribus hinc capitibus aequè conueniunt, & communia sunt, & ab his communibus incipiendo, hæc occurrunt.

In vita spiritali necessarium est, vt quis ducem aliquem, & magistrum habeat prudentem, rerumq; spiritualium peritum, qui vt plurimum esse debet is, qui est sibi à Confessionibus, quem consulat in rebus ad suam conscientiam pertinentibus, à quo instruat, cui tanquam patri, conscientiam suam sincere manifestet, quem non oportebit, nisi vigeat necessitas, facillè mutare.

Finis primarius omnium bonarum, actionum est Dei gloria, ad quam rectè omnia dirigenda sunt, vt simus Aaroni similes, qui inscriptum in aurea lamina Dei nomen, in fronte præferbat, & aliquod opus aggressurus præmittere posset piæ Ecclesie orationiculâ. Actiones nostras, &c. vel quid simile. Huic autem primo fini, potest, alter secundo loco subordinari nostra futura beatitudo, & vtrumque rectè significatur in principio Dominicæ orationis, cum primo dicitur, Sanctificetur nomen tuum, & secundo loco, Adueniat regnum tuum.

Scopus autem, qui à fine distinguitur ex Cassiano, est puritas vite, vel vt Paulus loquitur, Sanctificatio nostra, vel Imitatio Christi, qui nobis est exemplar perfectissimum, ad suam nos sequelam prouocans.

Cætera verò præter hæc sunt instrumenta, silentium, ieiunia, usus sacramentorum, solitudo, corporis castigatio, vigilia, & alia pleraque eiusdem generis, in quibus licet absoluta perfectio non sit, esse tamen magnificienda, monendus est populus tanquam instrumenta ad eam consequendam, valde idonea, & à Deo ordinata.

Examen conscientie quotidianum non modo nostri sancti Patres mirificè commendant, sed etiam Gentiles, vt Pythagoras, Plutarchus de cohibenda ira ad finem, ex Empedocle, Epictetus, Seneca exemplum dat Sextij, & suum: Omnes ergo ante somnum Psalmi vocem audire debent, Quæ dicitis in cordibus vestris, & in cubilibus vestris compungimini. Clemens ad Iacobum fratrem Domini: Instruebat (inquit Petrus) discipulos

Magister & Pater rerum spiritualium.

Finis vite spiritualis.

Scopus. Collat. I.

Instrumenta vite spiritualis.

Examen generale conscientie. 3. de ira. cap. 36. Psal. 4. Epist. 1. ad Iacobum.

pulos, aētus omni hora custodire firmiter, cogitationes malas cordi suo adhaerentes cognoscere, mox ad Christum allidere, & Sacerdotibus manifestare. Essent praēticē explicanda quinque capita, quibus hoc examen constar.

Examen particulare.

Examinis particularis vsus, ad aliquod peculiare vitium, expugnandum, vel virtutem assequendam ad sui emendationem & progressum apprimē condacit, cuius praxis est, vt mane quisque decernat, cui vitio peculiariter sibi obsistendum sit, vel cui virtuti studendum. Meridie verò, rursusq; vespere dispiciat secum, qua se ratione gesserit, vt doleat, rursusq; proponat.

Serm. 7. in Nat. Dñi.

Vnusquisque agnoscat, ad quod vitium se propensio- sentiat, sciatq; veram esse sancti Leonis sententiam, cum ait: Antiquus hostis omnium discit consuetudines, ventilat curas, scrutatur affectus, & ibi causas quarit nocendi, vbi quēq; viderit studiosius occupari. Nobis ergo ibi maiori cura inuigilandum est, vbi magis insidiatur hostis, & in eo vitio, diūtius examen particulare adhibendum.

Lectio librorum spiritualium.

In vita Zenonis.

Librorum spiritualium lectio, valde commendanda est. Refert Diogen. Laert. in vita Zenonis, hunc Philosophum cōsuluisse oraculum, quid sibi in vita esset faciendum, audiuit vt cum mortuus esset sibi frequens consuetudo, eorumq; colores indueret, interpretatus est, vt libros legeret, & lecta seruaret, fecit, & magnus inter Philosophos est habitus. Nos verò D. Pauli habemus oraculum ad Timoth. scribentis: Attende lectioni, explicandus esset populo aliquis modus cum fructu legendi libros, & qui maximē libri frequentius in manibus habendi.

Lectio turpiū librorum est pestis.

Tuscul. 3.

Vtq; perniciosorum, turpiumq; librorum lectio veluti pestis, & animorum colluuiēs penitus euitetur, proponendum est laudabile antiquorum exemplum, qui (vt habetur A& 19.) multos libros combusserunt, quorum pretium magnum erat, & tenendum consilium, vel ipsius Ciceronis, qui ait librorum Epicuri ob quādam noxia, vel corrigendum, vel comburendū, certē melius est libros, quam animas comburi.

Verbum Dei.

Confessio generalis.

Verbum Dei frequenter audiendum, & quomodo id faciendum sit, opere praētium est diligenter tradere.

Confessio generalis totius vitæ, ijs qui nunquam eam instituerunt, multa & eximia solet emolumenta afferre, & ab hac initium esset sumendum, ei qui vitam nouam serio auspiciari cogitat, & aliquam animæ securitatem exoptat. Adhibenda verò

verò maxima est diligentia, non tam circa peccatorum discul-
sionem, quam etiam & multo magis circa veram contritione,
& animum omnino paratum, vt mortis potius se discrimini
objiciat, quam letale in posterum scelus admittat.

Confessio sacramentalis saltem singulis hebdomadibus ef-
fec frequentanda, tum quia est presentaneum aduersus præ-
terita peccata remedium, tum quia aduersus futura efficaci
hominem communit antidoto, & eo maiori sacrum hoc tri-
bunal gratiæ nobis adendum erit, quo maiorem dæmoni
horrorem incutit, vt ipsemet S. Dominico apertè significauit,
cum nullo modo induci potuerit, vt locum quem Religiosi
Capitulum vocant, intraret, quod diceret ibi se amittere,
quicquid in alijs locis dolosa fuisset arte lucratus; & egerum
est, maiori ipsum odio Confessionem sacramentalem profe-
qui, quam capitulum illud.

Statimac à lecto surgimus, primitias cogitationum offer-
re nos Deo debere, docent S. Bonau. Cass. Climacus, qui rem
esse magni momenti affirmant. Vnde omnium actionum to-
tius diei bonum regimen consequatur, & addit Clim. Dæmo-
nem hoc scientem, valde esse sollicitum, vt ipse cor præueniat,
& ingerat turpes cogitationes, & ab hoc ipso aliquos dæmo-
nes dici præcursores, quare qui euigilant, quamprimum se
Crucis signo muniant, & cum summa reuerentia ad sanctissi-
mam Trinitatem se conuertant, offerantq; se ipsos, & omnes
illius diei actiones ad Dei gloriam.

Quotidie, ac sæpius iterandum est propositum, præsertim
verò in oratione matutina, abstinendi se ab omni peccato,
quod Deum aliquo modo possit offendere, quod planè illud
Prophetæ dictum nos docet: In matutino interficiebam om-
nes peccatores terræ, & orandus Deus, vt cor nostrum ita
dirigat, & confirmet, vt dicere possit quisque, malo mori
quam fœdari, & cum Dauide: Iuravi, & statui custodire iudi-
cia iustitiæ tuæ. Et cum se aliqua interdum tentatione pulsa-
ri sentit, vel cum aliqua peccati sese occasio offert, ad implo-
randam Dei opem statim confugiat cum magna in eum fiducia.

Occasiones peccatorum summo studio euitandæ sunt, quia
ex his peccata nascuntur, cuiusmodi sunt otium, consuetudo
malorum hominum, sensuum, & linguæ licentia, lectio libro-
rum impudicorum, ludorum, seu comediarum vsus, quare
monendi sunt omnes, vt pari cura & peccata, & peccatorum
fugiant occasiones.

Ordo

Confessio or-
dinaria.

Primitias co-
gitationum.

Gradu 27.

Propositum
non peccan-
di.

Psal. 100.

Psal. 118.

Occasiones
peccatorum.

Ordo vitæ.

Ordo in vita spirituali certus, res est magni momenti, ut scilicet suis horis singulæ fiant actiones, nec casu quis agat, quod Paulus monet, dicens: Omnia in vobis cum ordine fiant, & quælibet anima facile hostium impetus superabit, si fuerit ut castrorum acies ordinata, hunc autem ordinem, deberet quisque certum sibi statuere, neque immutare quantum fieri possit, & in eo instituendo spiritualis patris consilium adhibere, & sequi ut sciat quo tempore, quantum, & quid sit præstandum quoque modo in omnibus.

Erga Deum. Cap. X.

Reuerentia ad sanctissimam Trinitatem.

Quæ in mentem veniunt, hæc sunt. Peculiari deuotione colendæ sunt tres personæ sanctissimæ Trinitatis, ad cuius imaginem conditi sumus, ad cuius inuocationem in sacro fonte regenerati. In cuius visione beatitudo nostra sita est. Antiquissima est Trisagij & solennis memoria, ut dicamus, Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, miserere nobis, cuius meminerunt Ioan. Damasc. Felix Papa, & Conc. Calcedonense, imo ipsa Scripturæ, Isai. & Apoc.

*Epist. ad Zenonem**Imp.**Isai. 6.**Apoc. 4.*

Adoratio Christi.

Modus adorandi Christum, esset ut primo eius corpus tanquam organum diuinitatis veneremur, eiusque sanctissima membra, quæ tam dura, & indigna in passione perpessa sunt. Inde animam cum suis potentijs, omnium donorum & sapientiæ thesauris plenissimam, atque adeo virtutum: Diuinam, item personam cum omnibus attributis, quæ diuinitati propria sunt. Iterum esset bonus modus, si mente discurremus per singula eius vitæ mysteria, & actiones.

Deuotio ad quinque Christi vulnera.

Ad quinque Christi vulnera potest hæc fieri Meditatio, & oratio, Primo ad sinistri pedis vulnus, adorabo Christum gratias agens pro dolore quem in ea parte perpessus est: secundo, adorabo omnes affectus, qui erant in anima eius sensitiva, ut sunt tristitia, timor, gaudium, &c. tertio, orabo, ut mihi tribuat omnium affectuum meorum, quos animæ passiones vocamus, reformationem, & maximè alicuius in particulari. Ad pedem dexterum, primo, Adorabo Christum in eo vulnere, deinde omnes Christi virtutes, humilitatē, mansuetudinē, zelū, & alias. Tum rogabo, ut mihi omnes eas concedat virtutes, quæ mihi, iuxta meū statū necessariæ sunt, & peculiariter aliquā. Ad sinistræ manus vulnus, eodē modo primo adorabo, deinde pro omnibus eius doloribus gratias agā, quos tum in anima,

anima, tū in corpore sustinuit. Et precabor, cōcedat mihi meā crucem alacri animo ferre post ipsum. Ad vulnus manus dexterae gratias agam pro eo dolore; Deinde, adorabo omnes actiones, totius vitæ, quas cum tanto feruore pro mea salute operatus est. Et rogabo vt mihi in omnibus meis actionibus tribuat feruenter me gerere. Ad vulnus, cordis; adorabo illud tanquam sigillum omnium Christi operum, Deinde amorem eius ardentissimum, erga me, & orabo, vt tanto amori, aliquo modo meus amor respondeat.

Sancti plures, eximia pietatis, ac virtutum incrementa retulerunt, dum mente, in Christi corde moram faciunt, eius virtutes meditando, desideria, & affectus, zelum gloriæ patris, & nostræ salutis. Qua in re fuit singularis Elzearus Comes Ariani, de quo Surius in eius vita; & Luthgardes virgo nobilis, & Catharina Senensis.

Peculiari affectu seruanda est Dominica passionis memoria, & mortis, vt simus de numero eorum, de quibus in Apoc. dicitur, Hi sunt, qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerunt stolas suas in sanguine Agni, & D. Bernardum imitantes cum eo dicamus, fasciculus myrrhæ dilectus meus inter vbera mea cōmorabitur, & cum D. Francisco, & D. Paulo, Ego stigmata Domini mei in corpore meo porto. Beata Clara de monte Falco, ad eum, Crucifixi doloribus vulnerata est, eiusque amore incensa, vt eiusdem Christi, in Cruce pendentis simulacrum, in eius corde expressum, adhuc videatur, cuius rei multi possunt esse, oculati testes, vt & ego.

Omnium Christi mysteriorum deuota recordatio, supra modum Deo grata est, vt apparet in vita S. Edmundi, apud Surium mense Nouembri, cui puero optanti, vt Deus aliquid significaret, sibi, quod ad ipsius gloriam maximè cederet, Responsum datum est à Christo, vt quotidie aliquid ex mysterijs vitæ, ac passionis suæ recoleret, D. Dominico aliquid simile, fuisse à Beatissima Dei genetrice reuelatum diximus, li. 2. c. 5.

Ad Orationis studium oportet omnes affici cum Christus dicat, oportere, vt semper oremus, & omnes sancti In hac virtute fuere singulares. In qua nobis hæc ferè obseruanda est ratio. Primum, vt certis temporibus, mane præsertim, ac Vespere liberi ab alijs negotijs, tam sancto otio, quod Bernardus omnium negotiorum summum negotium vocat, operam demus. Meminit huius moris inter Christianos Philo. Terrul. Deinde, vt etiam inter alia negotia mentem nostram ad Deum conuer-

Latus, & cor
Christi

Passionis Xpi
memoria.

Mysteriorū
Christi me-
moriam, & De-
uotio.

Stadium Ora-
tionis.

L. de Vi.
cont.
Apol. c. 2.

Orationes Iaculatoriae. conuertamus, per vsum earum orationum, quas Iaculatorias vocamus, Deum laudantes, ei gratias agentes, opem iugiter diuinam implorantes, & Deum pra oculis habentes, iuxta illud, ambula coram me, & esto perfectus, estque Chrys. admonitio singulis horis aliquam Deo Orationem offerendam, vt cursus orandi cursum diei aequet. Imo vero optimum est consilium, vt omnem actionem incipiamus, & eandem absolutam, oratione aliqua tanquam sigillo obfirmemus.

Coll. 10. c. 9. Apud Ioan. Cass. Abbas Isaac miris modis, celebrat versiculum ex Psal. 69. desumptum, Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina. Habet (inquit) aduersus vniuersa discrimina inuocationem Dei, habet humilitatem pie confessionis, habet sollicitudinis, ac timoris perpetui, vigilantiam, & alia subiicit multa, addit huius igitur versiculi, oratio, in aduersis, vt eruamur in prosperis, ne extollamur, semper fundenda est, hunc in opere quolibet, vel in itinere constitutus decantare, non desinas, hunc versiculum, meditati tibi somnus obrepat, hic tibi expergefacto primus occurrat, iste ad omne opus, actusque diducat.

Oratio vocalis quid exigit. Hortandus est Christianus Populus, vt in oratione, qua voce exercetur, seruet Reuerentiam, Attentionem, & Deuotionem, quod est contra multos, qui ita recitant suas preces, quasi videantur ludere, seu potius Deum illudere, plane qui Principem aliquem alloqueretur, & eo dimisso, sermonem cum aliquo miseret ex famulis, esset iniurius Principi, & dignus quem is contemneret, posset explicari, Triplex genus attentionis, vel ad voces, vel ad sensus verborum, vel ad finem Orationis, qua attentio est optima, & respicit Dei laudem, & gloriam.

Oratio mentalis. Cum Oratio, qua mente tantum, sine voce perficitur, sit nobilissima, animandi sunt omnes, vt etiam huic Orationi assuescant, nec putent eam exigere multam doctrinam, aut ingenium magnum, sed egregium Dei amorem, vt aliquando F. Aegidius a S. Bonau. edocuit dicebat rudi, ac rustico cuilibet, ac muliercula, Ama Deum, & eris plusquam Bonauentura.

In Chr. S. Francisci lib. 1. c. 14. Quatuor illa capita, qua D. Pau. semel & iterum repetit. s. Orationes, Obsecrationes, Gratiarum actiones, & Postulationes, seu petitiones singillatim essent explicanda, iuxta D. Tho. exposuit. in eadem D. Pau. loca, & docedus, populus, quo ad praxim, seruari debeant, qua praxim, quia multi ignorat, male orant.

Tres orandi modi. Tres modos orandi ponit, inter alios. B. P. N. Ignatius in libro bello

bello exercitiorum, qui si explicentur possunt viam aperire ad alias meditationes. Primus est, vt nos ipsos examinemus, v.g. circa Dei præcepta, & singillatim dispiciamus, quo modo nos in singulis gesserimus, breuiter, & post huiusmodi considerationem conuertamus nos ad aliquod cum Deo colloquiū, iuxta rei occasionem. Rursum idem fieri potest circa septem peccata capitalia, circa animæ potentias, circa quinque sensus corporis. Secundus modus est, vt recitando orationem aliquam, v.g. Orationem Dominicam, in singulis vocibus, pium aliquid mente voluamus, prout Deus concurrerit, Ita vt vbi deuotio affluat non curemus transcurrere. Inde fiat colloquiū aliquod ad Deum, vel B. Virginē, vel Sanctos ad quos illa Oratio pertineret. Tertius est, vt recitādo aliquā orationem ad singulas respirandi vices, singulas voces transmittamus, expensa interim, vel significatione vocis, vel dignitate personæ, quam alloquimur, vel nostra vilitate, vel vtriusque differentia.

Quotidie, curandum est, vt sacrificio Missæ, interfint, qui possunt, perinde, ac Christo in Caluario, & in Cruce morienti astarent ob innumeras utilitates, quæ ex hoc opere manant, Cum sit hoc sacrificium, Propitiatorium, satisfactorium, Imperatorium, præseruet à culpis, etiā ad temporalia bona conferat, vt docet Concil. Triden. D. Franciscus teste, D. Bonauentura, cum adesset Missæ sacrificio, ita lachrymas fundebat, ac si tunc Christum in Cruce pendentem intueretur, adeo vt & alios ad fletum prouocaret. Sacerdos etiam non legitime impeditus si celebrare omittat priuat Deum gloria, Angelos letitia Ecclesiam multis auxilijs & se, animas purgatorij, suffragijs, vt ait Bon. & Beda. Explicandus esset modus quem seruare audientes sacrum debent, ad singulas sacerdotis actiones, præsertim quod ipse populus suo modo cum sacerdote concurrat, sicut sacerdos monet cum ait, vt meum, ac vestrum sacrificium. Et iterum pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt.

Communio spiritualis quotidie in Missa exerceri potest, quæ sine Sacramentali communione prædest, & sine hac Sacramentalis non est utilis, sit autē hæc communio, si Christo vniamur, & de bonis, ac meritis eius participemus, quod sit maxime, per actus amoris, per famem quandam spiritualem, & peculiarem deuotionem ad sacratissimum Christi corpus, ac si tunc esset sumendum, optando eius vnionem, etiam sacramentalē, vt faceret gulosus quispiam, & famelicus, opiparæ mensæ assistens.

Communio spiritualis.

Sacrificium Missæ.

Sess. 22. Cap. 9. in eius vita.

De Præpa. ad Missā cap. 5.

Communio spiritualis.

Deuotio visi-
tandi sanctif-
simum Sacra-
mentum.
Apoc. 4.

Oratio 40.
horarum.

Rosarium B.
Virginis.

Attentio, &
Deuotio in
Rosario.

sistens ubi eius appetitum, delicatioribus cibi excitantur. Optima est Deuotio, visitandi, interdum, cum adest opportunitas, altare, ubi Diuinum Christi corpus asseruatur, Tum ut homo coram diuinissimo agno procumbat, & cum beatis canat, ut est in Apoc. Benedictio, & claritas, Sediti in Throno, & Agno; Tum ad implorandam in suis necessitatibus eius opem. Ad hoc enim augustissimum sacramentum, alacrius nos decet confugere, quam Israelitae ad foederis tabernaculum soliti erant, oracula, & opem postulaturi. Eodemque modo, cum Oratio habetur 40. horarum, sacramento publice exposito, ut moris est, vel cum in publicis supplicationibus circumfertur, vel cum tanquam viaticum ad egrotos defertur eadem deuotio exercenda est, persuadeat autem sibi quisque hanc peculiarem, erga hoc venerabile sacramentum, deuotionem, esse non leue praedestinationis signum, quod ex eo loco bene colligitur: Vbicunque fuerit corpus congregabuntur, & aquila.

Rosarium (vt vocamus) consuetudo, & vsus duplicem in Ecclesia Dei finem habet, quorum alter est, mysterium Christi memoria, & cultus; Alter pia erga Beatissimam Dei matrem Deuotio, potest etiam addi aliquis peculiaris, praeter hos, finis, quem quisque sibi praefigit, ut si recitet pro aliquo Dei beneficio impetrando, siue sibi, siue alijs; Aut pro aliqua seu publica, seu priuata calamitate; Aut pro defunctis. Hos autem fines initio quisque coram Deo proponat, & inter orandum renouet, Tum recolendo mysterium aliquod: Tum Dei matrem inuocando, tum opem sibi alijsque implorando, non enim haec Attentio, intermixta, orationem vocalem impedit.

Rosarii nomen a Rosis desumptum est, sicut autem Rosa, vt sint gratia, viuido debent colore nitere, & fragrantiam fundere odoris. Ita plane Rosaria nostra debent matri Dei, & colore attentionis, & odorem deuotionis exhibere, ne vt rosa putida abijciantur. Ad hanc autem attentionem deuotam, conseruandam, valere possunt, & tempus ad recitandum opportunum, & locus ab aliorum tumultu separatus, & exterior, item reuerentia, adhibita, praeterea si ad Iesu nomen, & Mariae excitemur, & ad verborum sensum animum aduertamus. In fine cuiusque Decadis monet Ludonicus Blosius pie adijci haec verba Gloria sit sanctissimae Trinitati. Patri, Filio, & Spiritui sancto, laus sit sanctissimae Dei genitrici Mariae nunc, & per infinita saeculorum saecula. Amen.

Idem

Idem Ludouicus Blo: proponit Rosarium, quinquaginta Christi misteriorum quod quam sit Deo gratum, refert idem ipse, & Lanspergius ex visione quadam facta Priori Carthusiæ Treuerensis.

Cultu maximò Dei Genitricem Mariam venerari debemus vt dixi in lib. 6. cap. 20. nec oportet repetere.

Peculiari etiam quadam reuerentia, & affectu erga eiusdem Mariæ Immaculatissimã Virginitatem ferri debemus, quia hæc deuotio ipsi Virgini gratissima est vt constat ex Historijs S. Ilephonfi Toletani Archiepiscopi, qui de hac Virginitate libros edidit, & Sanctæ Leucadiæ, quæ miraculo suscitata dixit eidem Ilephonfo solennia missarum publicè celebranti, per te viuit Domina mea, atque ideo ipsa Beatissima Dei mater eidem Archiepiscopo apparens in publica supplicatione, per Angelos vestem obtulit prætiosam qua in altaris ministerio vteretur, quo testimonio, illam eius pietatem, erga suam Virginitatem defendendam, quam sibi placuerit, comprobare voluit, quæ vestis, adhuc Oueti in Hispania seruatur. Eademque deuotio, & memoria, nobis poterit esse scutum, ad repellendas, turpes cogitationes, quas sæpe demon ingerit.

Cum omnibus à Deo, vnus Angelus constitutus sit in custodia, vt scelus arguendum est planè, non ei se commendare, non ei (vt Ber. docet) in omni loco, in omni diuersorio, reuerentiam exhibere; Quare saltem, cum ad cubile accedimus, animas semper ei, & corpora tanquam fidelissimo Custodi committamus, contra Dæmonum, nocturnas illusiones, exemplo sit S. Cæcilia quæ dicebat, Ego habeo custodem corporis mei Angelum Domini, qui magno zelo custodit corpus meum, & sancta Iuditta. Viuit (ait) Dominus, quia custodiuit me Angelus eius, & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc reuertentem.

Sancto Michaeli, vt Angelorum Principi, ac totius Ecclesiæ sanctæ, Patrono, & Protectori, peculiaris honor est exhibendus, qui in die Iudicij, Sanctissimæ Crucis vexillum præferet, & Ecclesiæ canit eum Principem constitutum super omnes animas suscipiendas. Itemque septem Angelis, quorum fit mentio in Apoc. qui in cõspectu Throni Dei astant, & quorum Deus opera, in ministerio Ecclesiæ peculiariter vtitur, Imò, & omnibus Angelis cum omnes sint nobilissimi Spiritus, & administratores in vtilitatem eorum missi, qui hæreditatem cupiunt salutis.

In diebus qui Sanctis celebres sunt, diligenter eis nos com-

Ccc mende-

Rosarium,
Misterioru.
In Scriniolo
spirituali.
In operibus
minor. l. 17.
Deuotio ad
Beatissimam
Virginem.
Ad Virgini-
tate Mariæ.

Angelus Cu-
stos.

Deuotio ad
Sanctos.

mendemus. At pius est, etiam aliquos ex eis patronos nobis asciscere, prout, cuique peculiaris deuotio suggererit, eosque non verbis solum, sed magno cordis affectu, diligere, ad eorum confugere patrocinium, cum multis exemplis, constet, ad eorum intercessionem, magna, Deum beneficia contulisse, & ad eorum sepulchra, & reliquias magna patrata miracula D. Chrysof. multa se à Deo, per D. Paulum, obtinuisse cognoscit, cui (vt ipse loquitur) erat impense deditus.

Quolibet mēse patronus aliquis eligatur ex Sanctis. Optima est piorum quorundam consuetudo, qui pridie calendarum, cuiusque mensis, tot nomina sanctorum ex catalogo illius mensis conscribunt, & sortitio fit inter omnes qui in familia sunt, vt habeant singuli singulos Sanctos in eo mense, Patronos quibus orationes, & pia opera offerant, eiusque vitam & mores legant, & imitentur.

Litanie Sanctorum. Litanias, (vt vocamus) sanctorum quotidie recitare est satis laudabilis mos vt ab Ecclesia praxi, & consuetudine, discere potuimus, præsertim quod in eis contineatur, Sanctissimę Trinitatis inuocatio, & omnium Sanctorum & Angelorum intercessio, obsecratio per Christi merita, & misteria, commendentur Deo præcipua capita Catholicę religionis, & omnia ferè petantur à Deo quibus indigemus.

Reliquie Sanctorum. Reliquijs Sanctorum, exhibendus est magnus cultus, disrum pantur licet hæretici, cum ad memorias eorum semper confluere Christiani soliti fuerint, & multis à Deo bonis per eas cumulari.

Naz. or. in 3. Cypr. Greg. Nazian. Omnia (inquit) potest puluis Cypriani cum fide & D. Ansel. cuidam ex suis Sacerdotibus teste Surio in eius vita, habenti minimam particulam ex ossibus sanctę Priscę dixit, illam prætiosorem esse, toto mundo.

Oratorium domi. Oratorium aliquod, domi habere hortatur Hieron. quod sit concinnè sacris imaginibus pijsque ornamentis decoratum, proderit enim ad deuotionem excitandam & inuitandos domesticos ad orationem Hieronymi verba sunt eligatur tibi opportunus, & aliquantum à familię strepitu remotus locus, in quem velut in portum, quasi ex multa tempestatę curarum te recipias, & excitatos foris cogitationum fluctus secreta tranquillitate componas, tantum ibi sit diuinę lectiōis studium, tam crebrę orationum vices, tam firma, & pressa de futuris cogitatio, vt omnes reliqui temporis occupationes facile hac vacatione compenses.

Ep. ad Celantiam. Aquę benedictę, vsus in Ecclesia, antiquissimus est, Monendi sunt homines, vt cum illa se aqua conspergunt actum aliquę, dolo-

Aquę benedictę vsus.

doloris peccatorum, animo eliciant, vt à peccatis venialibus expurgentur. Domi habeant in cubiculis in eundem finem, & præterea contra Dæmonum illusiones. Eius aquæ asperſione cõstat effugatos Dæmones, & collatas fanitates etiam tẽporibus noſtris, apud Indos, recẽter baptizatos. Refert miraculũ Greg. 1. dial. cap. 10. Beda lib. 5. hiſt. cap. 4. Bern. in vita Malachia.

Circa Templi cultum, quod eſt domus Dei, & æterni Regis Baſilica, Concil. Lugdun. decretum ſeruandum eſt quod ita habet, Domum Dei decet Sanctitudo, vt cuius in pace factus eſt locus, eius cultus ſit cum debita veneratione pacificus; ſit igitur ad Eccleſiam humilis, ac deuotus ingreſſus; Ita Concilium. Cum primum quis templum ingreſſus, aqua luſtrali ſe abluit dicat illud, ego autem introibo in domum tuam, adorabo ad templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo.

Docendus eſt modus ſumendi indulgentias cum fructu, vt omnes intelligant, Primò non eſſe capaceſ Indulgentiæ, & relaxationis pœnarum qui extra ſtatum gratiæ ſit; Secundò vt omnia quæ à ſummo Pontifice iniunguntur exequutioni mandentur; Tertio hortandi ſunt omnes, vt deuotè ſingula exequantur; Ad idem ſpectat uſus ſtationum ubi arguendus eſt acerrimè ab uſuſ eorum, qui diuina beneficia, & ſacras actiones peruertunt, adeo vt ſtatio, quæ vt portus pietatis eſſe debuit, fiat quibusdam æſtuans Scylla, & Charibdis, nec ſit relaxatio pœnarum, ſed multiplicatio potius, & culparum & pœnarum.

Sicut Sacrarum & piarum Imaginum cultus deuotè eſt exercendus, ita vt ad earum aſpectum, recurrat mens ad prototypum, Ita imagines prophanæ, ac laſciuæ, vel quæ aliquid continent vanitatis ex Chriſtianorum ædibus exturbandæ ſunt, vt ſit valdè mirandum, etiam gentilium Deorum imagines apud quosdam magni fieri. Etiam habet neſcio quid vaniſſimæ ſuperbiæ indicium, ſuimet imaginem publicè aſſigere, aliquando etiam inter Sanctorum Imagines, illud verò ſatanicum eſt commentum aliquarum mulierum quas laſciuè amant, imagines apud ſe habere.

Reuerentia non ſolum interior, ſed externa item curanda eſt, præſertim in templis, Moneat concionator, cum orant, & ſacrificio Miſſæ aſſiſtunt vtrunque genu ſteſtant. cum ante altare ſanctiſſimi Sacramenti tranſeunt, genuſteſtant, & corde adorèt, poſſent cum D. Thoma dicere Dominus meus, & Deus meus, cum aliæ Sanctorum Imagines occurrunt, caput inclinent, & aperiant, ſeque ei ſancto cuius eſt imago cõmendent.

Ccc 2 Ad of-

Templi cultus & reuerentia.

Indulgentiæ.

Imagines ſacræ.

Reuerentia, & cultus exterior.

Ad officia diuina, & horas vespertinas, non fabulentur, sed Deum laudent, In templis non deambulent, neque secularia negotia tractent, vt Conc. Trid. iubet.

Erga Proximos. Cap. XI.

Superioribus
quid debeamus.

Primo loco illud ponamus. Superioribus tam Ecclesiasticis quam sæcularibus. Tria subditos debere, Amorem, Honorem, Obedientiam, de qua Pau. ad Rom. omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim potestas nisi à Deo, & quæ sequuntur.

Amabilitas.
Lib. 2. offic.
c. 7.

Cum omnibus alijs amabilem se quisque exhibere curet, quo autem modo id fiat audi Ambros. Primum (inquit) nouerimus nil tam vtile quam diligere, nil tam inutile quam non amari, nam odio haberi exitiale arbitror, quomodo autem amore conciliamus aliorum supra cum de affectu amoris ex Arist. & ex D. Ambrosio ageremus, diximus.

Modestia, &
bona Indoles.
Li. 3. de Vita Cant.
c. 19.

Modestiam, ac bonam Indolem, in conuersatione, optimam regulam sunt quas docet B. Prosper, vt reuerentiam senioribus exhibeamus, æquales germanitus honoremus, inferioribus gratiam paternam dilectionis impendamus, præstemus loquenti seniori silentium, ipsius ad loquendum præstolemur imperium, Non attollamus immoderatum in colloctionibus sonum, & risui non permittamus in cachinnum prorumpere.

Amicitia.

Amicitia charitatis ad omnes habenda est, sed vitanda nimiam familiaritates etiam inter spirituales, ne contingat illud Pauli Gal. 3. Videte ne cum spiritu caperitis, carne consumamini, huiusmodi autem familiaritatum signa, vide apud Diuum Bon. l. de processu rel.

Prima lex
amicitiæ.
De Amic.

Propter amicos nil contra honestum, esse faciendum, egregie docet Amb. l. 3. offic. cap. 15. vide ibi locum, vbi exemplis allatis, & scripturis id confirmat. Sed, & ipse Cic. Hæc (ait) prima lex est amicitiæ, vt ab amicis honesta petamus, eorumque gratia, non nisi honesta faciamus, & optima est quæ vulgo fertur sententia, Amicus Plato, amicus Socrates, sed magis amica veritas.

Iracundia.
Eph. 4.
l. de frat.
amore.

Optima est Pauli admonitio, Sol non occidat super iracundiam vestram, etiam discipuli Pythagoræ hunc morem seruabant referente Plutarcho, vt vespere, datis dextris, & mutua salutatione, animos conciliarent, si quid interdiu, irarum subortum esset. Et inter antiquos Christianos vsus erat, vt congregati

gregati ad orandum se mutuò per osculum pacis vnirent, vnde & Tertullianus osculum pacis, vinculum vocat orationis.

Cum Dominicam orationem recitamus curandum est, vt omnem ab alijs receptam iniuriam, toto corde remittamus, vt illud sincere, verèque dicamus, Dimitte nobis, sicut, & nos dimittimus; esset planè impudens temeritas, ita Deum alloqui, si tu interim, odium, rancoremque in pectore foueas, nam vel mentiris coram Deo in caput tuum, affirmando, quod non facis, vel Deum doces, vt ita se tecum gerat, quomodo, & tu cum fratre, quod perinde est, ac si petas, vt tibi non dimittat, quanta hæc temeritas, & impudentia?

Tecum Statue, pro tuarum opum, ac negotiorum ratione, vt nullus elabatur dies, in quo non aliquod misericordiæ opus in proximos exequaris, siue ad animos, siue ad corpora spectet, & habeto illud in corde. Nullus dies sine linea. Titus Imperator cum animaduertisset se quodam die, nil gratiarum in aliquem contulisse, dixit, perdidimus hunc diem, o amici; sed optimè Salomon Prou. 3. Misericordia, & veritas non te deferant, circunda eas gutturi tuo, & describe in tabulis cordis tui, & inuenies gratiam & disciplinam bonam coram Deo, & hominibus.

Quantitas, & mensura eleemosynarum, ea esse debet, quam filium suum, Tobias senior docuit, Quomodo potueris esto misericors si multum tibi fuerit, abundanter tribue, si parum, etiam illud libenter impertiri stude, etiam maior, vel minor, egenorum penuria, mensura esse debet plura, vel pauciora dandi, Modo Charitas Christi, & virtus Misericordiæ in corde tuo resideant, & earum iudicio sterur, non cupiditatis arbitrio.

Cum manum ad eleemosynam dandam porrigis, vel confidera Christum in paupere, vel te mendicum Dei, à quo expectes eleemosynam, vel condole proximo, & eius calamitati, sunt enim hi tres actus, quibus eleemosynæ meritum valdè augeri potest, Præclara Iobi vox est quam imitentur omnes, quantum possunt, si comedi bucellam meam solus, & non comedit ex ea pupillus.

Acriter Deus in scripturis, in eos indignatur; qui mercenario non statim reddunt, sed prorogant mercedem, in Leu. dicitur, vt merces non differatur in diem crastinum, in Deut. vt reddatur ante solis occasum lege etiam Iac. 5.

Valdè pium opus est, Deoq; gratissimum, & valde idoneum, atque efficax ad spiritus boni augmentum, visitare Xenodospitalia.

Ccc 3 chia,

Dimittenda
Iniuria.

Semper ali-
quid miseri-
cordiæ exhi-
bendum.

Eleemosynæ
quantitas.

Eleemosynæ
danti quid
cogitandum.

Merces solu-
enda statim.
Leu. 19.
Deut. 24.

Visitare ho-
spitalia.

chia, lectos sternere, cibos ministrare, consolari decumbentes ad sacramenta hortari; Itemque Carceribus detentos inuifere, eisque opem ferre, Certè Christus in Iudicio dicturus est Infirmus eram, in carcere eram & uisitastis me.

Suffragia pro mortuis.

Charitas Christiana, ad animas igne purgatorio detentas se se extendit, & in I. Machab. dicitur Sancta, & salubris est cogitatio pro Defunctis exorare, ut à peccatis soluantur, Soluuntur autem quatuor modis ut docet Greg. Aut oblationibus Sacerdotum, aut precibus Sanctorum, aut charorum elemosynis, aut pœnitentijs cognatorum.

13. *Causa.*
q. 2. c. *anima.*

In *serm.*
S. *Laur.*

Quantum bonum, aliquem à peccato reuocare.

Reuocare aliquem à peccato, & à malo uitæ statu opus est, ut ait Dion. Ar. omnium diuinorum diuinissimum, estque egregia S. Leonis sententia, Nemo bonus sibi soli bonus est, nec cuiusquam sapientis, sibi tantum amica est sapientia, & hæc est uerarum natura uirtutum, ut multos à tenebroso abducatur errore, qui earum clarus est lumine ad erudiendum Dei populū. Quare quoniam unicuique mandauit Deus de proximo suo, innitendum est unicuique ut aliquando aliquem à peccato ad Deum reuocemus.

Admonitor uilis.

Laudant plerique spiritualium rerum magistri, ut habemus aliquem prudentem, ac fidelem amicum, qui nobis sit loco admonitoris à quo moneamur, ubi opus sit, & ipsi, idem alteri faciamus, ut prouerbiū seruetur manus, manum lauat, quia plura uident oculi, quam oculus.

Iudicium Temerarium.

Iudicium temerarium, de aliorum factis potest esse peccatum mortale, quare curandum est, ut cum mihi suspensiones aliquæ sese offerunt, semper iudicium, & consensum suspendam, cum hoc Dei proprium sit, ne mihi obijciatur. Tu quis es qui iudicas alienum seruum? domino suo stat, aut cadit. Est planè hic casus Deo reseruatus, sicut est uindicta, quia ipse dicit mihi uindictam, & ego retribuam, sicut est gloria, eodem dicente gloriam meam alteri non dabo; Itaque cum sentis te aliquam tentatione in his pulsari, Responde est casus Deo reseruatus, absit, ut diuinam uirgitem iurisdictionem.

Detractio.
2. de *Con-*
sid.

Serm. de
3. *Cust.*

Ecl. 19.
Abstinendū à reuelando secreto.

Bern. Detrahere (inquit) vel detrahentem audire, quid horum damnabilius sit non facile dixerim, idem asserit linguam detractoris esse uiperam, quæ tres simul suo flatu inficiat, se ipsum scilicet, eum cui detrahit, & ipsam quoque qui audit.

Optimum est Ecclesiastici præceptum. Audisti uerbum contra proximum tuum, commoriatur in te, fidens, quod non te dirupet, contra eos dicitur, qui auditas contra alios infamias, non

non possunt occultare silentio, & nisi quæ audierint euomant, disrumpi videntur quibus sapiens sapienter ait, confide, ne timeas, nequaquam te disrumpet.

Ego planè tribus personarum generibus arbitror non facile fidem esse adhibendam; Primum alienæ famæ detrahentibus cum hoc vitium ex infecto, vel male affecto corde manet, quod Chryl. vocat barathrum sathanicum, & hos Anthropophagos, Detrahens (inquit) fraternas carnes comedit, proximi carnem mordet. Secundò his qui semetipsos iactant, cum id ex sui amore corrupto nascatur, qui tenebras menti offundit. Tertiò his qui coram me meas prædicant laudes, quia possum suspicari, me non esse ab eo satis cognitum, & esse hanc, quandam honestam adulationem amici bene sentientis, vt moris est fieri.

Tribus non adhibenda. si des facile.

Hom. 3. ad pop. Ant.

Cum literæ ad amicos mittuntur cauendum est serio, ne ea scribantur, quæ in alicuius malam opinionem cadant, etiam si vera essent, nam etiam in his infamia potest locum habere. Quæ alicubi secreta sunt, non debent in alijs locis diuulgari. Exstat bulla quædam contra Nouellantes, & famigeratores ad comprimendum hunc scriptiois pruritus, ac temeritatem.

Nouellantes.

Illud in controuersiam trahi non debet peccatum quo iniuste, vel fama, vel alia bona sublata sunt, non posse remitti, nisi ei qui læsus est fiat satis, qua in re etiam confessarijs periculum imminet, nisi sedulam pro suo officio curam adhibeant, quam tenentur.

Famæ restitutio necessaria.

Qui correctionem non admittit, aut superioris, aut amici, pessimè audit in diuinis literis apud Deum, Eccl. qui odit correctionem vestigium est peccatoris, id est, secundum Lyram, & Rabbanum, Diaboli, vt sit sensus, indicium præbet, ei Diabolum, dominari, vel esse obstinatum, vt est Demon, & firmiter inherere in peccato, vt ille est.

Correctio libenter accipienda. Eccl. 21.

Famuli non admittendi vel ad officinas, vel vt domesticis ministrent officijs, nisi bonæ famæ, & integræ sint vitæ, cum certissimum sit multum damni totam familiam pati ex improbis famulis posse, perinde est enim, ac hominem, peste infectum in sui suorumque contubernium aggregare. Exemplum, ex Dauide sumamus, qui ait, Oculi mei ad fideles terræ vt sedeant mecum, ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat.

Famuli quales eligendi.

Psal. 100.

Prouerbiū est quidem tritum, sed satis certum, felix qui nihil debet, pacata etenim mente, veluti iugi conuiuio fruitur, nec est qui vrgeat eum creditor, quare consulendum est

Debitorum solutio.



debitoribus vt diligentem adhibeant in soluendis debitis curam, nec nouum es alienum quantum fieri potest contrahant, nam stulti illi, qui non metientes redditus suos, plura expendunt, quam debeant, & Credito viuunt; Etiam illud monendum. Si quis legata pia, ad mentem Testatoris non reddit non esse in conscientia tutum, cum rem alienam inuito domino teneat.

Legata pia
soluenda.

Filiorum edu-
catio.

Verendum est ne plerique parentes post mortem a Deo grauius sint puniendi, ob incuriam, qua in filiorum educatione, vsi sunt, qui malo genitorum exemplo, & educatione peruersa in pessimos viros euaserunt, in Inferno, patres filijs suis maledicent, quod eorum causa sint condemnati, & vice versa filij parentes accusabunt ob eandem causam. Optima, iuuenum occupatio, sunt literarum studia, quibus vt filij sedulam nauent operam, parentes maximè studeant, nec sumptus, in hoc sumptus uocent, sed lucra.

Cantiones
turpes fugi-
da.

Hom. 9. in
ep. ad Co-
loss.

Curandum parentibus, & magistris omni cura, ne pueri turpes cantiones addiscant, aut recitent: audi Chrysostr. in illa, verba Pauli in hymnis, & canticis spiritualibus, nunc (ait) Saticas Cantiones, & saltationes praeferunt pueri vestri, quemadmodum coci, & obsonatores, & chorearum ductores, psallunt autem nemo nouit vllum, quia & res ista videtur ludicra, & ridicula, hinc mala cuncta vigent, qualem namque terram plantula sortita fuerit talem quoque fructum afferet, si arenosam, & salsam talem, si dulcem & pinguem, rursus consumilem.]

Erga seipsum. Cap. XII.

Attende tibi.

Primum est praeceptum illud Attende tibi, quod D. Basil. magnificè explicat, estque contra eos de quibus in Act. dicitur ad nihil aliud vacant, nisi audire aliquid noui, aut dicere.

Electio sta-
tus.

Electio status non debet temere, festine, ex animi passione fieri, sed maturè omnia sunt consideranda, & ad Deum fundenda assidua preces; Tum quia est maxima omnium deliberationum, cum sit de tota vita; Tum quia cum Deus habeat omnium prouidentiam, & futura omnia prouideat, ad eum confugere necesse est, ac dicere illud Psal. Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. Nostrum erit offerre Deo

Psal. 142.

cor, tanquam Alphabetum, quod nihil determinate dicit, & vir-

& virtute omnia dicit, hoc est animum penitus indifferentem.

Laudet Concionator, multas societates, vel vt vocant Confraternitates, ad opera pia exequenda institutas, & moneat vile esse, vt quisque alicui earum se aggreget, præsertim ex his quæ non tam externas cæremonias sectantur, quam spiritualibus magis, pietatis operibus vacant, & Sacramentorum frequentia.

Commendet sapius, Doctrinæ Christianæ scholas, horteturque omnes vt non solum memoriter, eius capita teneant, sed etiam explicationem eorum, excitet feruorem eorum qui huic operi tam sancto præsumunt, & moneat parentes, vt filios mittant, & famulos vt erudiantur.

Oculorum custodia est magni momenti, vt dicitur Eccles. 9. Auerte faciem tuam a muliere compta propter speciem mulieris multi reprobri facti sunt.

Fugienda spectacula, & comediæ parum pudicæ, quas Plauto ex sua Republica exterminauit, & Alcibiades Athenis iussit Eupolim Comicum in mare mergi adiiciens, tu me sæpe in scena merfisti Eupoli, ego te semel in mari.

Consilium est sapientis. Sepi aures tuas spinis, & linguam nequam noli audire, multis se molestijs eximit qui a curiosis, & vanis colloquijs, animum auocat, vt possit Deum in se loquentem audire.

Magnam & accuratam diligentiam linguæ adhibendam esse Ecclesiasticus monet, cum ait ori tuo facito ostia, & feras, neque hoc contentus addit aurum tuum, & argentum tuum confila, & verbis tuis facito stateram, & subdit adhuc & frænos ori tuo rectos, Singulare autem remedium, contra tam multa linguæ vitia, ipsum est silentium.

Iurationi (ait sapiens) non assuescat os tuum, multi enim casus sunt in illa, Chrysofost. in suis concionibus maximè vrget vt populum a iurandi consuetudine abstrahat, sunt autem tres Iuramenti conditiones Necessitas, Reuerentia, Veritas.

In quantitate cibi ea mensura est adhibenda, quam cuiusq; complexio, & ciborum qualitas postulat; ita tamen, vt intelligamus, non esse regulam bonam, ipsam saturitatem, cum patres sancti potius aliquam esuriam ventris, atque adeo medici ad sanitatem commendent Ber. Nequaquam totus manduces, sed corpore tuo suam refeccionem procurante, mens suam non negligat.

Secundum Cass. Doctrinam, & Hieron. ad Furiam, & Bern. melior

Confraternitates.

Doctrina Christiana.

Oculorū custodia.

Spectacula.

Aurium custodia.

Linguæ custodia. Eccl. 28.

Iuramenta. Eccl. 23.

Cibus.

Ad fratres de Monte Dei. Moderata, & quotidiana Abstinencia. Cass. Li. 5.

c. 9.

Ber de mo. melior est rationabilis cum moderazione quotidiana refectio, *bens viu.* quam per interualla arduum, lōgumq; ieiunium & S. Bon. (par *serm. 24.* *In pbar. li.* fertur, pluuia enim illa optima est quæ sensim descendit in Ter *4. c. 26.* *ex* ram, subitus autem, & nimius imber in præceptis arua subuertit. *S. Ambr.* Vinum immoderatè sumptum plurimum obest, & Christianæ *Pro. 23.* virtuti, & corporis saluti, quia, vt dicitur Prou. Ingredditur blande, post hæc mordebit vt coluber, & sicut regulus venena, diffundet.

Oratio ante, In prandio, ac cœna, præcedat oratio, sequatur gratiarum *& post cibū.* actio, ne bestijs similes videamur, & non agnoscamus panem, à Deo nobis dari, Philo Iudæus, hunc morem laudat, in primis *Conc. 1. de* Ecclesiæ Alexandrinæ Christianis, quamuis suæ gētis, homines *Laz.* crederet se laudare, Chryf. à mensa nō ad lectum, sed ad deprecationē vertamur, ne brutis animantibus simus magis bruti.

Ieiunium ali Laudabilis est consuetudo eorum qui ex deuotione passionis *quod.* Dominicæ, vel Beatissimæ Virginis certum aliquem diem in hebdomada vel ieiunio, vel abstinentiæ destinant, ac dedicant, extra numerum ieiuniorum, quibus ex præcepto Ecclesiæ tene mur, quod non solum animæ ad meritum conducit, sed etiam sanitati corporum prodest.

Somnus mo- Somnus sit moderatus, turpissimum enim est, magnam vitæ *deratus.* partem dormiendo transigere, quasi mortuos; aliqui ait Cypr. *Epist. 77.* profitentur nouam quandam Clinicorum sectā, idest lecti amatorum. Certè secundum medicos sex, vel septem horarum spatium ferè est satis, fortè plus aliquid pueris, aut ætate confectis concederent. S. Effrem quieti, & somno tantum tempus impende quantum cogit ipsa necessitas, quies enim diuturna corpus emollit, & libidinis ignem facillè accendit. Cum quis dormitum it non solum cōmendat se Angelo Custodi, sed eam teneat modestiam, vt possit dicere, In id ipsum dormiā, & requiescam, si nocte aliquando vigilat dicat cum Isaia Anima mea, desiderauit te in nocte, cum primum mane euigilans surgit, Dei sit memor, & dicat Deus Deus meus ad te de luce vigilo.

De vit. spi Vestium luxus à duobus Ecclesiæ Principibus quorū sententia standū est, acriter arguitur Hier. ad Nepot. Ornatus & for *rit. c. 76.* des pari modo fugiendæ sunt quia alterum delicias, alterum gloriam redolet & alibi. Vestis nec satis munda nec sordida, & nulla diuersitate notabilis ne ad te obuians turba consistat, ac digito demonstreris.

Vestitus mo- Corpus nostrum non est delicate nutriendum, sed vt asinus, *destus.* sicut

1. Pet. 3.
1 Tim. 2.
Epist. 22.
ad Eust.
Corpus quo
modo nutriē
dum.

sicut D. Franciscus corpus suum vocare solebat fratrem asinū , forte non male etiam appellari posset astuta vulpis, quia simulat, vt fallat: præclara est Chilonis Philosophi sententia, Caue tibi ipsi, te ipsum, à teipso, suspectus tibi sis, tu tibi hostis . Tria debentur Corpori nostro , quæ habentur in Eccl. Cibaria , & Virga, & onus Asino, panis, & disciplina, & opus seruo, scilicet vt non otietur, disciplina flagellum sentiat, nec tamen ei necessarius panis denegetur .

Eccl. 33.

Societas prauorum hominum, quam sit fugienda primò statim versu totius psalterij S. David indicauit dicens Beatus vir qui non abiit in consilio Impiorum, & Salomon filius, initio statim libri prouerborum . Si te lactauerint peccatores , ne acquiescas eis: Hypanis fluuius , aquarum puritate , ac dulcedine celebris, postquam Exampei fontis aquas amaras, ac turbulentas recepit, inficitur, & inutilis redditur; Monendi sunt parentes , vt à prauorum consuetudine filios suos omni adhibita cura defendant , & absterreant .

Societas prauorum .
Psal. 1.
Proh. 1.

Contra verò bonorum, ac spiritualium consuetudo, & amanda, & obseruanda est. Eccl. cum viro sancto assiduus esto, quemcunque cognoueris obseruantem timorem Domini. Egregia est Basilij sententia, eius qui fuit Orientis Imperator , ad Leonem filium cognomento Philosophum in hæc verba. Vtere medicis animorū assiduè, vt ipse animo valeas, ab eis enim discere poteris, quas res expetere, & à quibus debeas abstinere .

Bonorum societatis .
Eccl. 37.

Commoratio cum mulieribus, & consuetudo res est valde plena periculis Eccl. commorari Leoni, & Draconi placebit magis quàm cum muliere nequam Hier. hospitium tuum, aut raro, aut nunquam mulierum pedes terant. Cypr. Nunquàm securus cū Thesauro latro tenetur, nec intra vnā caueam, habitans cum lupo tutus est agnus. Ber. Esto vt sis continens, sed ego suspicione non careo, scandalum mihi es, tolle scandali causam.

Mulierem consuetudo.
Eccl. 25.
2. ad Nep.
De Symp.
Cler.
Ser. 65. in Cant.

Vsus ludorum fugiendus est, atque adeo ludentium consuetudo, vt dicere cum Tobia possis, Nunquam cum ludentibus misceui me, neque cum his qui in leuitate ambulant, participè me præbui, Neque tamen sint mores nostri, morosi, aut nimium seueri erga alios, vt nō liceat nobis aliqua honesta oblectatione recreari, & aliquid vsurpare; quod Eutrapiæ magisterio fiat.

Ludorum vsus.
Tob. 3.

Cogitationum malarum suggestiones in primò statim ortu comprimendæ sunt, conuersa ad Deum mente, ac pia meditatione, iuxta illud capite nobis vulpeculas, quæ demoliuntur vineas, quod

Cogitationes malæ.

quod si redeant, non est quod animo discrucieris, cum non sit in nostra potestate omnino prohibere, sicut stultum esset contra muscas indignari quæ pulsæ redeunt, sicut etiam stultitia videretur iudicium, si quis molestè ferret, volucres aliquas ni-gras per aerem volitantes crocitare; melius est tranquillo eas animo expellere, sepe etiam contemnere: Optimum est Hieron. consilium semper aliquid operis facito, ut te semper Diabolus inueniat occupatum.

*Epist. 4. ad
Ruff.*

In morbo,
quomodo
nos geramus.

Cum quis in morbum incidit obseruet, quod medicis iniungitur in cap. cum infirmitas, ut statim confessionem instituat, cum vera contritione, etiam si nullum extet mortis periculum melius est enim, ut Dei amor inuitet ad Sacramentum, quam mortis timor vrgeat. Vtile autem erit infirmo, maxime diuini si initio morbi, aliquas in pauperes, & pia loca distribuat eleemosynas, quæ apud Deum, vel ad salutem corporis resituentiam, vim habituræ sint, vel ad disponendum hominem, siue ad morbum patienter ferendum, siue ad fœlicem mortem subeundam, quando ita Deo placuerit.

Testamentũ.

Nemo deberet expectare tempus morbi ad condendum testamentum, sed illud in sanitate commodius conditum seruari, si quid vero, aut immutandum, aut addendum erit, facilius fit; Cum autem morbus ingrauescit, curet apud se habere viros pios, ac religiosos, qui animæ curam, cum charitate, ac zelo habeant, moneantque ea, quæ in id tempus ad salutem æternam necessaria sint, quibus tunc magis vacare oportet, quam terrenarum rerum curis.

Mortis memoria.

Memoria mortis toto vitæ tempore retinenda est, cum sit optimum frænum ad totius vitæ cursum laudabiliter moderandum, habeat quisque præ oculis illud. Memor esto quia mors non tardat, vel illud.

Dispone domi tuæ, quia morieris, & non viues. Vtile autem esset quotidie orare, ut Deus ita vitam disponat nostram, ut bona mors eam consequatur, posses oratiunculam hanc aliquando repetere, Domine Iesu Christe, per tuam dulcissimam charitatem, & amarissimam mortem concede nobis bene viuere, & sancte mori in gratia tua, Amen.

Adderem etiam ut initio cuiuscunque mensis, cum primus dies festus occurrit, aliquid peculiare opus in hunc eundem finem, facias, cuiusmodi esset, aliquid eleemosynarum elargiri, egenum aliquem, domum suam ad prandium inui-
tare

care, sanctissimam communionem suscipere. Visitare aegrotantes, in Xenodochio seipsum etiam examinare, an, & quantum sit paratus, si Deus eum ad se eo mense vocaret, & quidnam vellet tunc fecisse, cum hora mortis aderet, hæc enim meditatio plurimum confert, & ad bonam vitam, & ad felicem mortem alacriter obeundam. Ideo Christus toties monet estote parati.

Imago mortis.

Ego proposui aliquando meis auditoribus, ut domi mortis simulacrum in aliqua tabella depictum haberent in hanc formam, Supra mortis caput, Paradisi aliqua species sit coloribus suis circumscripta, cum Angelis, ac beatis cytharas manibus, & musica instrumenta pulsantibus, ubi scribatur illud, Beati, qui habitant in domo tua Domine. Sub pedibus vero eiusdem mortis, Inferni figura efformetur, cum igne, Dæmonibus & animabus damnatis, in quo illud legatur elogium, Christi ore crebris in Euangelio inculcatum; Ibi erit fletus, & fridor dentium ipsa vero mortis imago inter Paradisum, & Infernum constituta, vna erecta manu dextera Paradisum, & beatas illas sanctorum animarum sedes, altera demissa, Inferni pœnas, digito quasi demonstret, ex cuius ore illud profluat, Momentum vnde pendet Aeternitas.

Psal. 83.

Et hæc satis de his admonitionibus puto, superque etiam pluribus, nimij enim fortasse fuimus, cum centenarium numerum expleuerimus, pauca polliciti, rem exemplo potius indicaturi, quam ex professo tradituri, sed nescio quo pacto in ipsis manibus & scriptione, creuerit opus, sicut quinque panes ab Apostolis distributi, turbis, in eorum manibus multiplicati sunt. Ad alia igitur, quæ institutio hæc nostra desiderat adhuc mihi erit transeundum, si prius vnum hoc ipsum oratorem, circa harum admonitionum usum admonuero. Vfus harum erit, ut vel admisceantur, cum rebus, quæ in Concione tractantur, prout rerum, fuerit opportunitas vel certe ne omittantur, ut ego sæpe facere solitus fui, & res bene cessit, in ipsa media concione post finem prioris partis, & ante initium secundæ, dum eleemosynæ colliguntur. Voce autem valde familiari, proponendæ sunt, sicut solet moneri populus de rebus alijs quæ occurrunt, ut cum proponitur Indulgentia, vel inuitantur auditores ad futuram Concionem, vel commendatur pium aliquod opus. In his proponendis, & explicandis non est necessaria magna amplificatio, nec multa ad persuadendum argumenta, sed potius simplex ipsa admonitio, addito ad summum aliquo exemplo breuissimo, ut praxis magis eluceat, vel simplex autoritas scripturæ, aut sancti

Admonitionum harum qualis usus.

sancti Patris, ut rei pondus addatur. Neque in singulis concionibus id fieri necesse est, nam aliquando, ipsa concio ex argumento habet aliqua his similia, quæ proposuimus, & tunc ab alijs nouis multiplicandis erit superferendum. Si verò aliqua admonitio haberet plura capita poterit vna pars in aliam concionem referuari.

Praxis paranda Concionis. Cap. XIII.

Quarto loco dicenda sunt aliqua, quæ industriam Oratoris Christiani requirunt circa praxim, quam tenere debet in ipsa concione tum paranda tum habenda, P. Franciscus Borgia tertius Societatis nostræ Præpositus Generalis vir eximie sanctitatis & prudentiæ, breuem instructionem pro concionatoribus reliquit, ex qua in hunc locum aliqua nos obseruatione digna retulimus. Quoniam igitur omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descendens à Patre luminum, initium parandæ Concionis sumendum erit à fonte, per humilitatem ac sui notitiam, adhibendo examen aliquod conscientiæ, quia peccata solent intelligentiam impedire. Faciet ergo quod Ecclesiasticus monet. Pro delictis suis deprecabitur & fiet ei quod sequitur: Spiritu intelligentiæ replebit eum Dominus, & ipse tanquam imbres emittere eloquia sapientiæ suæ.

Hic. c. 15. Certa est Dei promissio. Si separaueris præciosum à vili, quasi os meum eris. Addet his orationem ad postulandam opem diuinam in re tanti momenti, quanti est frugiferam ac salutarem concionem parare. Non fidat suo ingenio nam Deus superbis resistit. Et Christus dixit, Confiteor tibi Pater quia reuelasti ea paruulis. Extat oratio D. Thomæ Aquinatis quam habere ante studia solebat, & hic maior vrget occasio & difficultas. Posset cum humilitate suam infirmitatem in re tam difficili confiteri. Quis ego sum ut possim librum signatum aperire? Nunquid ponunt vinum nouum in vtres veteres, qualis ego sum, & quis ego sum, ut ascendam in montem excelsum, ut euangelizem, ut exaltem vocem meam? Cum psalmista oret. Deus non est sermo in lingua mea, ideo illumina vultum tuum super seruum tuum, & saluum fac filium ancillæ tuæ. Apostoli orationi, & ministerio verbi instantes erant: & certe cum se præparaturus est, debet maxime instare ut audiat à Deo, aperi os tuum & implebo illud. Posset Hymnum Spiritus sancti recitare ad eius honorem, & æterno Patri nomine filij

A Deo principiu sumendum.

Ecc. c. 39.

Hic. c. 15.

Matt. 11.

filijs sui supplicare commemorans, filium ipsum nobis promittere. Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis, & iterum quanto magis Pater vester dabit spiritum bonum petentibus se. *Io. 16.*

Secundo, Si est explicaturus Euangelium, legat attente ipsam & notet diligenter sensum Historicum, advertat sententias, & modos dicendi & verba omnia, nam singule voces a Spiritu sancto sunt. Si est concionaturus super aliquo themate, primo consideret sit ne accommodatum solennitati eius diei, & auditoribus, & quid continet, Eodem modo de materia si quam est tractaturus num conveniat loco, & auditoribus, vt intelligat statum sue quaestionis id est id quod tractaturus est, num genus auditorum postulet tractari in genere viae purgatiuae, an illuminatiuae, seu perfectae. Nam cum eadem res multis modis tractari possit, error est suas quasdam quamuis pias, & acutas meditationes, reconditas, quae apud doctam concionem Religiosorum aptissime proferrentur, ad populum rudem afferre qui non perficiendus est statim, sed vitijs grauibus purgandus est primum. Itaque primo loco diligentissime laboret in materiae delectu, ex hoc enim nascitur qualitas futurae concionis, vt cum fructu fiat, vt facile vel cum difficultate pareatur. Seligat materiam quae non sit infructuosa, non humilis omnino, non a communi sensu remota, non sterilis, & affectuum expers, sed sit digna cognitu, moralis popularis copiosa, affectuum capax.

Consideret Euangelium, vel materia.

Videat apud quos dicendum sit.

Tertio, Deinde conferat se ad commentarios magis laudatos, qui de illo Euangelio loquuntur, vel authores qui thema, vel argumentum sibi ad dicendum propositum tractant. Adde si quos habet communes locos, siue sua industria, siue aliena collectos, consulat praecipue Sanctos Patres, videat indices bibliorum, scripturarum concordantias, si quid minus intelligit doctos viros si suppetunt audiat quid ea de re dici possit. Noui ego eximium, & vtilem concionatorem, qui multos annos salubriter est concionatus. Hic aliquando proponebat quaestionem, aut communem locum inter aliquos ex nostris patribus, ut quisque diceret quid in ea re sibi occurreret & ex his commode ad concionem multa vtilia colligebat. Neque vero omnia quae inuenerit etiam apud Sanctos Patres sibi esse dicenda existimet. Non pauca enim eo tempore quo sacri Doctores scripserunt, necessario dicenda erant, quae hac tempestate vtile non esset afferre.

Legat commentarios.

Quarto,

Colligat &
scribat, quæ
inuenerit.

studium
analogum
liberum

hinc 11. b. v.
-mab 2000
12. 1100

Quam sit ne-
cessaria me-
ditatio rerû.

Thren. 1.

Primum sibi
prædicet Ora-
tor.

Quarto, dum se parat, scribat, & coaceruet sylvam rerum, quamuis sine ordine, prout ei inter studendum obijciuntur, & quæ cogitando sedens aut deambulans ipse inuenerit, præsertim colligat quicquid ex patrum Sanctorum lectione poterit, nam hæc habent plus momenti, & grauitatis, & spiritus. Estque desiderandum, ut sit ita ex patribus concinnata concio, ut possit dici non estis vos qui loquimini. Non id dico ut aceruum autoritatum accumulet, quas recitet ut aliqui faciunt ad ostentationem, potius doctrinæ, vel memoriæ suæ, quam ad auditorum profectum, sed ut ea quæ dicit fere sint ex Sanctorum Patrum doctrina potius deprompta. quam ex ipsiusmet ingenio nata quamuis ut alibi monuimus necesse non sit latino Sermone omnes Patrum sententias recitare.

Rerum Meditatio. Cap. XIV.

Quinto post paratam diligenti studio hanc rerum sylvam, superest altera non minoris momenti industria, quam ea sit quæ in studio & lectione posita est. Ea vero est collocanda in meditatione eiusdem Evangelij, & earum rerum de quibus habendus est sermo. Quæ in re concionatori est imitandus Elias qui serue lignorum parata, & hostia superposita ad sacrificium peragendum, se se ad orationem conuertit, & Deum exorandum ut ignem de Cælo mitteret. Curandum est inquam ut in meditatione exardescat ignis, & primum omnium ipsummet Concionatorem inflammet, ut possit cum Hierem. dicere: misit ignem in ossibus meis & erudiuit me. Sciat sine hoc igne cibos, quos est propositurus fore crudos, & inspidos, nec facile conuertendos in alimentum eorum qui audient.

Magnum interuallum esse dicebat in quadam Epistola B. Pater Xauerius inter vibrantem animi viribus meditata, & seigniter ex memoria conquisita promentem. Et quoniam hæc solertia ad nostrum negotium plurimum valet, aliquanto planius explicabo. Arbitror enim non minus curæ in hoc quam in ipso studio poni debere.

Prodest hæc meditatio, Primum ipsi Concionatori, ut sibi prius prædicet quam alijs. Solebat Alexander Macedo prælium cum hoste initurus, prius animum acuere, & ad arma inflammare lectione aliquorum versuum, in quibus bellum describeretur. Planè Concionator ita hoc ministerium exerceat, ut maximo, ac primo loco existimet sibi applicanda, deinde

deinde alijs, quæ docturus est, ne quis obijcere ei possit, qui alios doces, te ipsum non doces? Quis autem credat alijs persuasurum, qui sibi ipse non persuadeat? Gregor. Rector, ait, si quædam sibi deesse considerat, non oportet ut ab eorum prædicatione conticescat: locus quippe exigit, ut loquatur. Verbis ergo suis seipsum conveniat; & si non idè loquitur, quia non operatur, idè operetur, quia loqui compellitur. Ad bona, de quibus Auditores admonet, se quoque pariter inflammet, ut ipse simul discat in opere, quod per eum loquitur veritas in prædicatione. Sæpè enim quod viuendo nescimus, compulsi loqui loquendo discimus.]

Secundo, valde utilis erit hæc meditatio auditoribus, quia tunc ex abundantia cordis os loquitur, ac multo melius Prædicator in oratione, ac meditatione discet illa, eadem quæ ex libris, ac studio colligere potuit. Aliter loquitur qui redit è scripto verba, aliter qui ex cordis affectu profert. Ille frigide agit, hic ex Spiritu sancto mouente, & cor, & linguam. Illius oratio ad solas aures peruenit, huius sermo cordis arcana penetrat. Illius verba sensum delectare possunt, huius mentem afficiunt. Vtrumque hoc membrum à me propositum verba D. Chrysof. benè confirmant. Sicut (inquit) stomachus accipiens cibum, eum in semetipso coquit, & per totum corpus dispergit, sic & Sacerdotes accipiunt scientiam sermonis, per scripturas ex Deo, & excoquentes eam in se, id est tractantes, & meditantes apud se, vniuerso populo subministrant. Et sicut stomacho subministrante vnumquodque membrum suscipit nutrimentum, & conuertit illud secundum suam naturam, sic Sacerdotibus in Ecclesia loquentibus, verbum omnes suscipiunt, vnusquisque autem conuertit illud secundum proprium cor. Illud præterea ex hæc meditatione emolumenti habebit, quod aliqua succurrent meliora quam prius cogitauerat, vel inuenerat, vel meliori modo explicanda, quæ notare postea poterit ne excidant è memoria. Origenes explicans quid sit, quod inter animalia immunda, & vetita enumerentur ea, quæ non ruminant, & non diuidunt vngulas, sicut etiam immundum erat quod diuidit vngulas, sed non ruminat ut camelus: talis, ait, est Concionator, qui habet multas subtilitates, ac diuisiones, si non ruminat meditando gibbosus est, & nihil efficiet. Et forte hæc est vna euides differentia inter bonos, & malos Concionatores, quod aliqui

Hom. 21. in
Ezech. sub
figura.

Secundo, ex
abundantia
cordis os lo-
quitur.

Hom. 38.
in cap. 21.
Matth.

Hor. 7. in
Leuitic.



Meditatio
hæc fit pra-
ctica, & affe-
ctiua.

in pronunciandis aliorum scriptis occupantur, vel componen-
dis eloquenter declamationibus suis, alij assidui sunt in medi-
tatione eorum quæ ad fructum tendunt animarum, vt & ipsi
diuina mysteria prius deuorent, quemadmodum Ezechiel suū
librum, & intra se calore diuino amoris concoquant. Deinde
cum efficacia & fructu alijs communicent. Hæc meditatio de-
bet esse practica & affectiua, id est, vt ad actionem, & affectum
referatur, vt se ipse Concionator extimulet ad maiorem per-
fectionem, mortificationem, zelum animarum, & ipse afficiat-
tur, ac sentiat in se quod alijs debet offerre, conuertens quo-
dammodo cibum mansum, ac bene digestum in lac, quod cum
paruulis in Christo communicet, concionaturus de grauitate
peccati, de Mundi contemptu, de amore Christi, de beneficijs
Dei, ipse prius eadem meditando penetret, & in succum con-
uertat suum, quam proferat. In hæc ipsa meditatione ex re-
bus de quibus agendum erit, colligat Dei, & Christi attri-
buta, potentiam, beneficentiam, benignitatem, sapientiam,
prouidentiam, bonitatem, misericordiam, iustitiam, charitatē.
Varios etiam virtutum fructus, fidei, spei, charitatis, pœnitē-
tiæ, humilitatis, puritatis, quæ facillè erit inuenire in quolibet
Euangelio. Ponderet apud se, & sententias, & verba, & quis
dicit, quo tempore, ad quos, in quem finem. Multa hoc modo
mysteria sese prodent meditati, & quasi subiecto igne odo-
ratos liquanti flores, succus pretiosus, ac purissimus effluet.
Imaginetur sibi Christum adesse, seu verba loquentem audiat,
seu mysteria & opera patrantem intueatur. Notet minas ad
terrendum, consolationes, & promissa, ad confirmandum se, &
alios. Si ad finem meditationis senserit peccatorum suorum
dolorem ac desiderium pro Christo etiam mortem oppetēdi,
intelligat esse fructum bonæ orationis. Si Deo placuerit nouū
aliquod lumen ei communicare, vt dicitur: Declaratio ser-
monum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis, humi-
liratis hinc occasionem sumat, & Deo gratias agat. Si verò
noua luce non sit illustratus, ea quam ex studio perceperat sit
vltus fuerit, etiam sua bona Deus augebit.

Psal. 118.

Com-

Exo, ex omnibus quæ studio notauit vel lectione, aut meditatione percepit, Concione accuratè formabit, seligens ex tota illa sylua quæ vtiliora, & ad rem magis pertinentia videbuntur, eaq; ad tria vel quatuor ad summum capita reuocabit, alia possunt, vel in aliud tempus omitti, vel esse vsui exordio, epilogo, amplificationibus, mouendis affectibus. Ita fiet quod S. Paulus monet, vt rectè tractet, seu, vt Græcè est, rectè fecerit sermonem veritatis, id est, vera à falsis, vtilia à curiosis & inanibus, aliena à proprijs secernat. Det operam vt Concio bonum habeat ordinem, & methodam. Est namque ordo, vt liber, ad memoria subsidium, plurimum etiam ornamentum afferens concioni, & adiumentum dicenti, tum audientibus: Còfusa, & indigesta rerum moles perturbat omnes, & parit etiam quandam ariditatem. Deus in ipso mundi exordio, primum rerum omnium materiam creauit, cui similis est illa rerum sylua, quam Concionator congescit. Inde verò sicut Deus cuncta suo ordine distribuit, ita Orator suis quæq; locis disponat necesse est. Quod si non statim succurrat ordo, ac dispositio, non despondeat animum, sed relegat semel atque iterum, versetq; animo quæ collegit, quia diligenter, & sine anxia sollicitudine secum agitati facile occurrerit. Nos in secunda parte de dispositione diximus.

Inuenta dispositione, ac taxi, annotet quid in singulis capitibus sit collocandum, animaduertendo an ea quæ collegit sufficiant, nec ne, vel alia sint inuenienda, an ad rem propositam faciant, vel sint duriora, & extorta. Laboret in argumentorum inuentione, quæ sint magis accommodata ad tria illa orationis officia. Percurrat mente, & consulat locos tam topicos, quam Theologicos, & qui sunt proprij illi concioni quam tractat, eaq; argumenta rectè distribuat, & vt suis locis aptentur videat. Loca prophetarum prudenter, & aptè citata habent magnam vim, præsertim eorum querelæ contra peccatores. Postea quæ summatim annotauit, poterit adhibita elocutione aliqua dilatare, afferendo argumenta, & argumentationes, & suis locis amplificationes, ac scripturarum expositiones, prout alibi a nobis dictum est: quod vel fieri breuius potest, vel copiosius. Illud apud se omnino statuatur, nolle se alligari verbis. Rectè enim monet D. August. Versandum est, inquit, aliquando Oratori multimoda varietate dicendi, cum aduertit nonat *Christ.*

Argumenta ad probandum.

Lib. 4. c. 10.
de doctrina

D d d 2 esse

esse intellectum quod dicebatur, hoc autem ait non esse in potestate eorum facere qui preparata, & ad verbum memoriter retenta pronuntiant.

Nova consideratio.

Post prædicta adhuc adiungerem quamdam novam considerationem eiusdem concionis, tam rerum quam verborum, ut adhuc melius omnia inspiciat, & exactius aduertat, an aliqua propter obscuritatem possint in alium sensum ab improbis trahi. An sufficienter sint explicata, & confirmata, quibus modis poterit cum maiori emphasi, ac fructu loca Scripturæ, ac Patrum exprimere. Siquidem non est facile ex improviso inter concionandum id bene præstare, si prius non cogitavit. Salomon certè testatum reliquit: Cunctæ res difficiles non valet eas homo explicare sermone. Notabit modum, & verba quibus utetur, maximè in arguendis vitijs, ne quemquam offendant, phrasas quibus res aliqua enuntiari debet. Nò minus studij ponat in rebus, ac verbis, ut expendat quæ tacere debet, quam quæ dicere, & omnia verba sint ad rigorem scholæ Theologicæ librata. Animaduertat loca in quibus affectus magis mouendi sunt, quo in loco magis sit ei immorandum, tanquam utiliori. Videat nunquid sit ex concione parata prætermittendum. Sæpè enim plura parantur, quam possit tempus suppetere ad omnia commodè explicanda. Itaque necesse est ante statuere quid refecandum, ne si inter concionandum id præterit, aut perturbetur, aut meliora abscindat.

Eccles. 1.

Compositio exordij.

Vltimo loco cogitandum de exordio, quod ex visceribus causæ erudum est, aptiusq; post parata cetera quam in principio sese offeret, tum de Epilogo cogitet qui fiet per enumerationem, vel amplificationem, secundum ea quæ suo loco diximus. Inueniat eximium aliquod dictum, vel exemplum, quo primam partem bene concludat, quod si velis accommodare quæ dicta sint ad eleemosynam petendam, videat ne accommodatio sit inepra, longius accersita, vel ridicula, simulq; præmeditetur aliquid quod possit animos auditorum ad liberaliter erogandum mouere. In principio secundæ partis videat quid sit ponendum, ut renouet attentionem, & releuet animu auditoris fatigatum, & quod dixi de primæ partis vltimo dicto, multo magis curandum est de vltimis verbis secundæ partis, ut auditores discedant cū aliqua graui sententia, quam memoriæ insigant, & conseruent ad fructu ex concione percipiendum. Concione ita paratâ tempestiuè memoriæ mandet, neque redigi se in angustias temporis ita patiat, ut cogatur vim afferre

afferre memoriz . Nam vehementer id defatigat mentem, ac spiritum arefacit, & vigorem, ac necessarium ad alacriter & nervosè agendum habitum imminuit.

Ante Concionem, in ipsa, & post Concionem quid faciendum.
Cap. XVI.

Pridie concionis, ad deuotionem excitandam vtile erit aliquam poenam assumere, ieiunium, vel abstinenciam, aut flagellu, aut humile quiddam . Oratio dein matutina ante concionem poterit esse de materia predicanda, vt ad se referat, quæ alijs persuadere in animo habet . Hæc planè sunt arma, quæ Christus Apostolos docuit, vt ab alijs demonia eijcerent. Hoc, inquit, genus demoniorum non eijcitur nisi in ieiunio, & oratione, ieiunij nomine, quamcumque corporis afflictionem amplectens. In suis orationibus memor sit earum precum, quas Christus morti proximus ad Patrem fudit, nõ solum pro eis, quos secum habebat Apostolis, sed etiam pro omnibus qui credituri essent per verbum Apostolorum, & omniũ qui Euangelium predicaturi essent vsque ad finem mundi. Hæc oratio, filij dilectissimi, non poterit nõ esse Patri acceptissima pro his oblata, qui præsentem audituri sunt Concionem. Seipsum commendat sanctissimæ Trinitati, Patri memoriam, Filio intellectum, Spiritui sancto voluntatem. In sacrificio Missæ precetur vt diuinum verbum, & sibi, & alijs fructuosum existat . Cum proxima instat hora concionis dirigat orationem ad Spiritu sanctum, B. Virginem, Angelum suum Custodem, & alios custodes Angelos eorum qui concionem audituri sunt, vt causam suorum, qui sibi commissi à Deo sunt iuent, & suppleant ipsi quod sibi defecerit, & ad sanctos suos Patronos. Est admonitio D. Augusti. Ipsa hora, inquit, accedens priusquam exerat proferentem linguam ad Deum, eleuet sicentem animam, vt eructet quod biberit, vel quod impleuerit fundat.] Et ibidè cap. ultimo affert exemplum Esther, quæ allocutura Regè pro salute populi temporali, orauit vt congruum, & compositu sermonem in os eius daret; quãto magis id facere debet, qui pro æterna salute hominum in verbo, & doctrina elaboraturus est. Item inter orationes D. Ambr. ad populũ habitas, hæc preces habetur, Obsecro Domine, & suppliciter rogo, da mihi semper humilem scientiam, quæ edificet, & da mitissimam, & sapientè eloquentiam, quæ nesciat inflari, & de suis bonis super fratres extolli.

Ante Concionem præparatio.

Lib. 4. cap. 15. de doctr. Christi.

Orat. 3.

D d d 3 extolli .

extolli. Pone, quæso in ore meo, verbum consolationis & adificationis, & exhortationis per Spiritum sanctum tuum, vt bonos ad meliora valeat exhortari, & eos qui peruersè gradiuntur ad tuam rectitudinis lineam reuocare verbo, & exemplo, sint verba quæ dederis seruo tuo tanquam acutissima iacula, & ardentes sagittæ quæ penetrent, & incendiant mentes audientium ad timorem, & amorem tuum. Sicut & S. Chryso. ponit orationem quam habeat, qui se ad legendum parat vel ad audiendum in hæc verba: Domine Iesu Christe aperi oculos meos, & aures cordis mei, vt audiã eloquia tua, & intelligam, & faciã voluntatem tuam, Domine, quia incola ego sum in terra, ne occultaueris à me mandata tua, sed reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua, in te enim speravi Deus meus, vt tu cor meum illustres. Ecclesia in sacro antequam recitet Euangelium orat. Munda cor meum, & labia mea omnipotens Deus, & quæ sequuntur. Itemq; debet Christianus Orator etiã pro Auditoribus orare, sicut & populus pro se, & pro ipso à quo est verbum Dei accepturus, quia sine Dei spiritu non poterunt, qui audiunt moueri ac persuaderi, prædicante Paulo nemo credidit præter Lydiam purpurariam, cuius Dominus aperuit cor, intendere his quæ dicebantur à Paulo. Quare ipse D. Paulus orat, pro se orationem fieri, vt Deus aperiat ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi. Est autem ostium ipsa voluntas, quæ per peccatum clausa & obstinata aperitur, cum pulsanti Christo per verbũ Dei aures, & auditum præbimus. Huc facit illud D. Leonis, qui vt excitaret populũ, vt pro se oraret, ait, Ad commune pertinet lacrum, si potueritis me habere deuotũ, quia vestra impenditur ædificationi quicquid nostræ tribuitur facultati. Persuasum sibi habeat quod nemo de Deo sine Deo bene loquitur, siq; ad dicendum ascendat sine precibus, non speret tanto se muneri satisfacturum. Refert Plutarchus, Periclem vnum ex magnis Oratoribus ad dicendũ timidè accedere solitum, & non priusquam Deos precatus esset, ne quod verbum sibi excidere paterentur quod possit auditoribus offensionem afferre. Nobis qui Deum verum, & vnum colimus, quibus tanto maius periculum imminet quanto æternitate tractanda negotia quid igitur studij in ope diuina imploranda ponendum erit? Oret etiam Deum vt à se auferat omnem spiritum ambitionis, & repleat cor feruente spiritu, quo sic afficiat alios. Accedat cum magna fiducia in Deũ

*Ser. de pati & consu
mat. seculi.*

Act. 16.

Coloss. 4.

*Serm. 2. de
pass.*

*Exemplum
Periclis.*

fidens

fidens virtuti ipsius, Euangelij, ac verbi diuini, quod est potens perfringere etiam obdurata corda hominum, licet enim magna sit superbia mundi, est tamen vox Domini quæ cōfringit Cedros, & licet non desint flammæ cupiditatis, ac irarum, vox tamen Domini est efficax interciderè flammæ, est vox in virtute & magnificentia.

In ipsa Concione, & post eam. Cap. XVII.

IN ipsa Concione quomodo se gerere debeat monerem, nisi per totum hunc tractatum hæc sparsim sub diuersis titulis allata essent, tamen pauca hæc addidero. Primo, accedens ad pulpitum, renouet intentionem gloriæ Dei, & zeli animarum, habendo illud in ore, & corde. Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam, vel illud, Misereor super turbam istam, vel, Domine da verbum euangelizanti virtute multa. Recordetur Pauli dicentis, In Deo, & coram Deo in Christo loquimur. Coram Deo stare est eius præsentiam, ante nos ponere eum magna reuerentia, ac desiderio, vt ipse cognoscatur, & ametur, cumq; magna fide, vt Moyse, de quo dicitur: Inuisibilem enim sicut videntem sustinuit. In Christo loqui, est personam Christi induere, desiderando vt ipse loquatur in nobis, & optando vt tales simus in hoc munere, vt digni simus adimplere quæ desunt passionum Christi in nobis. Secundo, cum primum in suggestum ascendit post reuerentiam genu flexo ad altare exhibitam, salutet auditores aperto capite. Tum cætera pro regionis probato more peragat. In gestu, habitu, motu, ac primis verbis præferat grauitatem, modestiam, humilitatem, sed hæc nullo modo affectata, & ficta sit, sed vera, simplex, religiosa, vultum item serenum atque pacatum componat. Aliqui præferunt vultum ita venerabilem, ac pium, vt videantur solo aspectu dimidium Concionis antequam incipiant, peregisse. Non sit leuis in circumspectendo auditores, denique fugiat omnem suspicionem leuitatis & affectatæ grauitatis. Non nimis immoretur dum se componit. Vidi enim aliquando nonnullos, qui longam traherent moram, dum aptant subsellium, pileum, superpellicium, & alia. Diligenter autem curet, vt teneat in principio vocem naturalem, ac familiarem & moderatam. Tertio, curet quantum fieri potest, vt habeat hunc animum semper paratum, vt numquam ex quacumque occasione turbetur, siue ob paucitatem audien-

Habeat ante se Christum.

Heb. 11.

Non turbetur.

tium, siue ob strepitum qui interueniat, siue ob aliam quamcumque causam, & habeat quamdam potestatem ac libertatem, vt etiam si memoria labatur non significet se commoueri. Si enim turbetur animus, omnia male cedent, & auditores rem animaduertent, quæ eos alioquin sefellisset. Quarto, cum inter concionandum sentit se frigide & languide agere, tacite erigat mentem ad Deum, & opem imploret, vertat se ad sanctissimum Sacramentum, vnde poterit spiritum, ac feruorem attrahere. Ex ijs quæ tractat ad sese relatis, siue ex aliquo Scripturæ loco, qui incidat conetur si possit aliquem deuotionis ignem elicere. Excitiat se, sumat animum & vires intendat, ad Deum, ad Christum, ad Sanctos, ad animam suam, ad auditores orationem per aliquam apostrophem conuertat. Quinto, quando in pronunciando aduertit se vti voce, vel violenta, vel in cantum abeunte, vel nimis præcipiti, vtatur sua libertate, nec sinat se arripi dicendi impetu quasi torrente. Interquiescat nonnihil ex aliqua occasione, interponat interrogationem, vt si dicatur: Num satis accepistis quæ dicta sunt? quid ad hæc dici potest? & similia. Vtatur transitione aut narratione, aut alia industria quam vsus cuius aperiet, & inde ad familiarem suam vocem se recipiat. Sexto, si quod inter dicendum inconsiderate verbum excidat, vbi primum aduertit, addat aliqua quibus explicet melius, vel corrigat, aut mitiget quod dictum est, neque differat in aliam concionem, tum quia non iidem redeunt semper auditores, tum quia tunc facilius corriget, nec lapsus admodum apparebit. Non sit turpe Oratori nostro dicere ad auditorem suum, quod August. præmittit in prohemio librorum de Trinitate ad suum lectorem, Si quid veri comprehenderis, existendo non est meum, at intelligendo, & amando, & tuum sit & meum. Si quid autem falsi conuiceris, errando fuerit meum, sed iam cauendo, nec tuum sit, nec meum.] Septimo, cum videt sibi tempus non suppetere ad omnia quæ parauit dicenda, vel quia in primis capitibus diu immoratus est, vel alia de causa, sit contentus summam attingere quæ reliqua ex propositis erant, & differre in aliud tempus, vel aliam concionem, ne iustum concionis spatium cogatur excedere. Octauo, quando sentit se ad dicendum valde impeditum, vel ineptum, quod aliquando solet contingere, vel ex malo corporis habitu, vt si pituita voci, & locutioni impedimento sit, aut aliud simile, vel ex Dei voluntate sic permittetis in utilitatem Concinatoris citius

Feruoꝝ in dicendo.

Corrigat quod male dixit.

Si ineptus abruptat concionem.

citius concionem absoluat. Præstat enim maturè dimittere concionem quam inepte tenere, & contra naturam niti. Præfertim quod ipsimet auditores impedimentum ferè animaduvertunt, tacitiq; iudicant esse cessandum: & facile est in secunda parte sermonis post eleemosynas collectas sermonem concludere. Post omnia absoluta optimum est, vt statim sublata ad Deum mente, offerat illi laborem suum, contestans se quidem seminasse, cæterum ipsius Dei esse dare incrementum, ac proinde roget vt ipse gratia sua benignitate irriget, tum ad suum, tum ad populi fructum. Vbi redierit domum, bonum videtur consilium Haymonis in illa verba: Piscatores descenderant, & lauabant retia, Qui verbum Dei loquitur, ait, aliquando quodam puluere iactantia inquinatur, ideo necesse est, vt prædicatione expleta, quod inquinatum est abluatur. Vtile erit petere à Deo cum vera cordis humilitate veniam commissorum defectuum. Si sentit aliquam vanæ gloriæ tentationem quod sibi videatur benedixisse, & habere applausum populi, memor sit, Dei esse non suum si quid bene sit gestum, & donum concionandi esse à Deo cogite. Multos in die iudicij dicturos, Domine nonne in nomine tuo prophetauimus, qui audient, nescio vos. Agnoscat se multa peccasse, seq; ponat in numero eorum qui multa dicunt, & pauca faciunt. Deus per coruos carnes Eliæ dedit, sic per malum Concionatorem aliquos pascit. Sampson ex mandibula Asini potum recepit, & timendum ne audiat, Serue nequam ex ore tuo te iudico. Etiã Deo gratias agat, quod se indignum dignetur suo fauore protegere, & vti opera sua ad tale ministerium, ad tam excelsam finem. Si abiectionis animi tentationem senserit, quod ei concio non successerit, dicat se fecisse quod fecit ex obedientia non ex sua voluntate. Id euenisse quod debebatur imbecillitati suæ: mirandum potius si quando aliter eueniat. Vel dicat vt quidam eximius Concionator, qui licet communiter optimas conciones haberet, cum tamen, sic Deo volente nonnumquam male cederent, rogatus cur ita eueniret? Respondit: Non mihi plus datum est à Deo. Potest etiã humiliter existimare sapè Concionatorem cum sibi minus placuit, plus alijs placuisse, sapè etiã è contra omnino cadere. Vtro autem modo contingat Dei arbitrio sese modestè subijciat. Conducit etiã hic obseruare, quod B.P.N. Ignatius docet in oratione seruandum, vt absoluta Concione post aliquantum temporis Concionator secum ipse dispiciat, quomodo res successerit,

Post concionem.
Offerat Deo,
& oret.

Petat veniã.

Humilitas.

centrit, & si quidem male, inquirat causas, & adhibeat in-
postremum remedia, si verò bene, notet modum quem deinceps
sit obseruaturus. Hac ratione ipse in dies seipso melior euadet.

*Quomodo se gerat Christianus Orator in Quadragesimalibus
Concionibus.* Cap. XLVI.

Vamuis ea quæ hactenus de Christiani Oratoris officio
dicta à nobis sunt, satis esse videantur, vt quisq; intelli-
gat quomodo se gerere debeat in concionibus Quadragesima-
lis ieiunij, placet tamen aliqua de his subijcere aliquanto di-
stinctius. Cum enim magni laboris opus sit per quadraginta
dies in palestram, & in arenam singulis diebus descendere, &
spirituale certamen contra acerrimos hostes exercere, quàm
esset, vt tanto labori par etiam fructus responderet. Quem ad-
modum autem Dux aliquis longa obsidione ciuitatem circum-
dans, aut arcem, & bellica tormenta continuo admouens, non
cessat quoad tandem expugnet, aut hostes sese dedant; ita
planè hæc spiritualis, & quotidiana obsidio, deberet tandem
flagitiosos profligare, & scelus à arcem euertere, vt Hiericon-
tina olim mœnia, vbiis Sacerdotum personaribus corruerunt,
frustra alioqui laboratum, frustra sudatum, si scelus quod ex-
pugnandum fuerat, finita obsidione, vt ante grassetur, &
regnet. Et sanè non tam mirandum quam dolendum est, cum
sæpè vna in ciuitate multi occupentur, verbi Dei satores, su-
doribus eorum tam multis, paucos manipulos in horreum
Domini comportari. Nimirum verendum est vehementer, ne
non solum in causa sit obstinatio auditorum, sed & Conciona-
torum inepti, inanis gloria, pecuniarum cupido; dum sui cõ-
modi, & plausus, & concionis frequentanda causa, magis ea
prædicent, quæ curiosis auribus satisfaciant, quam ad odium
malæ vitæ, & morum correctionem adducant. Deniq; aliqui
sine spiritu, sine zelo, sine charitate loquuntur. Ne igitur diui-
ni verbi pereat fructus, & Concionator loco mercedis, quam
sperare debuerat, seueram loci male occupati, talentiq; si non
absconditi, at proiccti rationem reddat Deo, molestum videri
non debet, si summa quadam capita, in vnum locum congesse-
ro, & in memoriã reuocauero. Antè omnia finis, & scopus de-
signandus, & statuendus, ac penitus figendus antè oculos est.
Modo comparauit Concionatorem in quadragenario opere
Duci obsidenti arcem, iquar nunc similem dicere artis medica
studiofis,

Finis, ac in-
tentio.

audiosis, qui post absoluta studia in aliquo Nosocomio agrotorū curam suscipiunt, quos scimus non eodem omnēs cōsilio ad hoc opus moueri. Aliqui enim ea mente, nec quicquid est negotij, & laboris assumunt, vt empiricam medicinam addiscant, ac p̄ceptionibus artis experimenta & vsum adiungāt. Alij verō lucri cupiditate ducti, vel studio sui nominis celebrandi: Nonnulli deniq; sola Dei charitate impulsī, ac proximorum: vt Deo videlicet gratum aliquod officium exhibeant. Sane primi dum experientiā consecantur periculo sapē alieno discunt, & plurimum aliquando sunt mortis quam vitæ causa. Medici, qui lucrum, vel simile quid sibi proposuerunt, satis habent si cantilenas quasdam, & ineptos aphorismos recinant, qui parum ad valetudinē conferunt, ad ostentationem verō doctrinæ, lucrumq; non parum: At vltimi, qui Deum vnum intuentur, cuius solo amore, & salutis fratrum mouentur, diuigenti studio in opus incumbunt, sedulo morborū naturam & causas inuestigant, accuratē diuersa, efficaciq; adhibent medicamenta, sibiq; demum non parcunt, vt agrum sanent.

Idem euenire Cōcionatoribus potest. Aliqui valde imperiti ad hoc tam graue munus, quasi ad exercitamenta, & progymnasmata, vt fieri solet in declamatoria disciplina, nihil de animarum fructu cogitantes accedunt. Quibus verō lucri cupiditas, aut auræ popularis ambitio cordi est, dummodo quod habent in votis assequantur, optimē sibi concionandi munere functi videntur, neque sanitatem valde curant, neque remedia apta, & efficacīa conquirunt, & applicant, contenti sunt generalibus dictis, & auribus permulcendis intenti, leorum more, qui in foro circulos habent. In hoc ergo quadraginta dierum curriculo, vnum sibi Christianus athleta proponat, studiū scilicet alienæ salutis, & gloriā præpotētis Dei, hæc vna illius meta, vnaq; palmā sit, existimet ad quam mittitur ciuitatem, Hierosolymitanā piscinā illi esse persimilem, in qua iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, aridorum expectantium aquæ morum. Se verō tanquam Angelum à Deo destinatum ad commouendas aquas, ac proinde, sese instar Angelī cuiuspiam ad hoc munus obeundum adornet, ac instruat, magna animi summissione, in spem veniens fore, vt non vnum aliquem, vt illa piscina, sed multos, & quidem ex periculosis & grauissimis peccatorum morbis ereptos, in veram sanctitatem, hoc est in gratiam Dei restituar. Itaque sese offerat, tradatq; penitus Deo; eius opem impleret: contestetur nihil se,

hil se, nisi ipsum velle querere, nihil nisi animarum salutem, nullo modo se, aut commoda sua.

Ante Quadragesimam commentationes spirituales

Cap. X. I. X.

Maximè conducet, vt antequam conciones aggrediatur, per aliquot dies ab alijs curis, ac studijs vacuus sese, commentationibus dedat spiritualium exercitationu, quæ ad renouationem spiritus valere possint, & ad deuotionis spiritû excitandum tendant. Cuiusmodi essent Primo meditationes, quæ ad sui notitiam eû iuuent, suorumq; defectuû, ac perturbationum cognitionem, vt corâ Deo seipsum accuset, ac imparem tanto muneri confiteatur, & doleat ex animo, quod in via spirituali, quam alios vult docere, tam parum ipse profecerit; deinde poterit aliqua ex his quæ in principio primæ partis à nobis proposita sunt animo versare, ad illustrandum intellectum, & voluntatem inflammandam: de officij huius dignitate, ac partibus de recta intentione, de zelo animarum, de amore erga Christum, deq; alijs virtutibus quas enumerauimus, & erga Deum, & erga pròximos. Deq; prudentia in omnibus tenenda, de qua actum est in tertia parte. Hac ratione animum à noxijs affectibus purget, vt spiritu sincero loquentem Deum audiat in corde suo: spiritum rectum innouet zelo gloriæ Dei, zeloq; salutis animarum muniat; opem à Deo exposcat ad tantum ministerium ritè obeundum, ipse prius sibi prædicet quam alijs, à Deo discat ipse priusquam doceat, illuminetur antequam alios illuminet. Ita plerosque sanctorum fecisse legimus. Greg. Naz. in quadam sua ad populum oratione: Non sum, ait, Baptista, ex heremo tamen venio. Christus ipse aggressurus suam prædicationem secessit prius in desertum locum, vbi ieiunijs, & orationibus per quadraginta dies ac noctes vacauit, vbi tacebat ore, sed instruebat opere, & quicquid verbo dicturus erat, prædicabat exemplo. Tertio curet ante Quadragesimæ tempus paratas habere omnes conciones accuratè, ac diu expensas, adhibita tempestiuè diligentia, ne opus sit in ijs parandis in ipsa Quadragesima laborare. Nam quotidianus dicendi labor, & studium meditandi ea quæ in promptu sunt (nisi velit oneri succumbere) nequaquam spatium concedunt inueniendis de nouo, ac disponendis quæ prius non excogitavit, ac di-

Conciones
sint paratæ, &
quales.

ac disposuerit: præterquam quod id commodi accedit ut etiam suppetere tempus possit, quo celebrandæ quotidie missæ atque orationi vacet: cuius prætermisio in causa est ut aliquorum in concionibus deferuecat charitatis ardor, neque loquantur ex abundantia cordis, neque ad cor; Adde quod necesse est, ut aliquid temporis tribuat ijs qui de conscientia sua animiq; salute consulturi accedunt.

Quarto, noster Ecclesiastes meminerit quod monuimus alibi, valde necessarium esse ad finem sibi propositum, ut suas conciones ad odium, ac dolorem peccati dirigat; ad morum correctionem ad excolendam Christianam iustitiam, & perfectionem; & materias ad id maxime idoneas seligat, nisi velit populum suo fructu priuare, Deum gloria, & lucro spirituali se ipsum. Quid enim attinet (quod multos factitare videmus) pleraq; erudite, ac ornate ad pompam, atque adeo cum admiratione auditorum dicere, quæ imperitum populum non erudiant non absterreant ab effrenata viuendi licentia, non animos addant aut excitent ad virtutem? Ludouicus Carbo spectatæ probitatis & prudentiæ vir, in sua Christiana Rhetorica id consilij concionatoribus dat, Quod ipsum memini mihi ab eo non semel dictum, cum aliquos ante annos Ventijs vna essemus: ut quadragesimali præsertim tempore, populus alterutra concionis parte de ijs rebus instituat, quarum capita catechismo continentur; Nam cum hæc vel à tenera ætate memoriæ mandari soleant, nunquam tamen explicationem eorum facile populus assequitur, neque inculcantur ab ijs, quorum interest, vnde fit, ut rerum scitu necessariarum magna ignorantia sit. Equidem consilium hoc probo, non tamen suaferim, ut omissa Evangelica historia, vnum aliquod caput ex ijs quotidie tractetur ex ordine nisi forte in aliquo oppido aut pago, necessitas urgeat, tunc enim prior concionis pars posset in huiusmodi declaratione versari; secunda verò, capita nonnulla ex Euangelio ad excolendos mores proponere; In alijs autem locis, vbi ignorantia tanta non viget, haud facile Evangelicam historiam, priori parte omittendam putarim, cum iam longe diuersa consuetudo inualuerit, neque si secus facias populo valde arrideat. Res ipsa tamen, & placet, & obseruari potest, imo & expedit scilicet ut ex occasione, quam Euangelia præbent explicentur quæcumque ad Institutionem populi necessaria videbuntur, idq; arbitror omnino esse præstandum, ut præcipua Doctrinæ Christianæ dogmata

Materiae quales.

mata, Decalogi præsertim attingantur. Atque ut his quoque satisfiat, qui Evangelicam historiam audire cupiunt, video pluribus placere ut principio concionum, summa Evangelij capita loco exordij referantur, quod qui bene præstare, noverint se doctis pariter, & indoctis hac in parte satisfacisse, credant.

Episcopi Benevolentia, & Reuerentia ac bonum nomen.

Cap. XX.

QVinto cum in urbem, in qua est conciones habiturus aduenit, decretum Concil. Trid. sess. 5. quamprimum seruare studeat; ut scilicet Episcopum adeat, ab eoque benedictionem accipiat, cum magna submissi animi ac reuerentis significatione, ut erga eum quem scimus à Deo in sui locum constitutum, & quem magno à nobis honore colendum scripturæ docent: Tum se in illius tanquam communis parentis benevolentiam, sine qua ut compertum est, vix possunt haberi cum fructu conciones, omni studio ac diligentia insinuare contendat, promptum significet animum illi in hoc munere feruendi, eiusque votis obsequendi. Quandoquidem partes illius acturus est, ut administer: oret ipsum ut cogitet, ac moneat quæcumque sibi ad suarum ouium utilitatem profutura videbuntur, quippe qui ceteris oculatior & in specula constitutus, probe viderit earum morbos ac necessitates. Magistratum etiam & aliquos e primoribus ciuitatis, si ita iudicauerit, inuisat, cum præsertim cognouerit ab ijs id officij expectari, & gratum fore: Neque tamen id præstandum cum multis esse crediderim, ne quid affectatum videatur, quasi vero prensare velit, & sibi concionum frequentiam allicere. Abstinendum tamen à mulieribus adeundis existimari, ne cui detur occasio obloquendi, ut aliquando contigisse alicubi compertum mihi est: sicut etiã dant sermonum materiam, qui literas commédâtias ad plures deferunt, tanquã, eo modo aurã popularẽ, & audientiam emendicent. Libentius hoc officio fungerer, cum ijs qui curã habent animarum viris Ecclesiasticis, præcipua in vrbe auctoritatis, ac sanctitatis. Horum enim familiaritate, prudentia, opera, consilio, iunari potest concionator non parum ad ferendos ex concionibus fructus vberiores. Ineat quoque cum alijs concionatoribus amicitiam, si occasio sese offerat sed modeste, & cum ea amoris significatione, quam religiosa charitas

&

& simplicitas exigit; Ex his quos iudicauerit idoneos, secreto tamen ac prudenter poterit inuestigare, mores loci, ac personarum: Necessè est etiam nosse, quæ vitia in ea ciuitate, qui abusus, quæ piæ exercitationes, quis sacramentorum vsus, qui contractus illiciti, qui cœtus & sodalitates, quæ iuuentutis educatio, quod denique ingenium, & natura hominum sit, & huiusmodi multa.

Sexto, facillimum est intelligere, quantum omnino momentum habeat sanctitatis opinio & bonum concionatoris nomen, maximè in quadragesima, tum ad sui ipsius, tum ad aliorum utilitatem. Vix enim boni aliquid sperare licet, cum illud populus vsurpat, ac mulsitat, Dicunt, & nõ faciunt. Quapropter, haud molestus sum hac in re, si ex his quæ alibi fultus dicta, sunt breuiter aliqua necessaria perstringam, & quod sentio aperiam. Caueat vehemèter noster orator, ne vilo modo quippiam offendi possit, siue publicis, siue priuatis eius sermonibus, diligenter coram Deo dicta factaq; sua omnia obseruet: præmeditetur singula quæ dicturus est ex suggestu, nec quæcumque in mentem veniunt leuiter effundat, nec faciles omnibus aures præbeat: In obiurgationibus sit cautus; non vtratur verbis quibus mordeat magis quam moneat, quibus contemnere magis audientes videatur, quam ex charitate corrumpere: Non indignetur contra suos auditores, sed contra vitia; nec verbum ex ore elabi sibi patiat, quod vilam contumelia speciem præferat tanquam velit in alios dominari. Non sit querulus, nec de se suisq; rebus loquatur, vt alibi dictum est. Fugiat omnem ostentationem, & arrogantiam verbis, & gestibus. Alijs concionatoribus si quis præsertim (quod sæpe contingit) cæteros antecellat, & primas, aut secundas ferat, non æmuletur. Hoc enim solet à recta puræ intentionis via concionatorem abducere Non adulatoriè blandiatur, non affectet eloquentiam. Inuitare populum quotidie ad concionem sequentem, vel nimis crebro, & verbis vrgere non laudo. Nam quod faciunt quidam magnificare simbrias, & mira promittere, vel cuiusdam vanæ iactantiæ est, vel imprudentis cuiusdam simplicitatis. Id tamen fieri moderate potest, & tunc maxime cum futura concio est de re valde utili, & ad animæ salutem pernecessaria.

Præterea inter concionandum non sit nimius in clamoribus vsque ad molestiam, nec in agitatione corporis, nec artificiosus in gestibus, non præceps in dicendo, nec tardus. non ingerat

Sanctitatis opinio.

ingerat multas auctoritates, quas populus non intelligit; nō Hæreticorum opiniones, non doctrinas Scholasticas subtiliter tractet & vocet ad trutinam. Quoniam etiam tam longo curriculo conciones quotidie habentur breuior sit, satietati occurrat, & occupatis consulat. Illud etiam curandum est, vt conciones stato tempore, & hora certa habeantur eaque eligatur, quæ vniuerso populo sit accommodata. Si ad mensam alienā inuitetur modeste remittat, neque alios ipse aduocet ad suam, contentus sit moderato cibo. Nam verbi Dei studium & deuotio, ac plenus venter haud facile concordant. Et illud quoque vulgare verbum locum hic habet. Pinguis Minerva, non gignit sensum tenuem; adde tu multo verò minus, piam religiosamq; dictionem. Quotidie sacrificium Missæ celebret, In congressibus, & colloquijs ita segerat, vt non in his tempus frustra terat, sed ad vtilitatem spiritualem eorum qui ad se accedunt conuertat. Vultus hilaritas, facilitasq; morum, potius quam tristes seueritas tenenda est siquidem fugat tristis, & immodica grauitas, quos allicere poterat & sanare elementia. Atque hoc postremum erat B. P. Xàuerij Consilium in litteris ad P. Gasparem datis.

Admonenda, & inculcanda aliqua.

Cap. XXI.

SEPTIMO, vt certus ex concionum labore fructus existat, hæc etiam adiuuabit industria sub initium Quadragesimæ hortetur auditores, & vrgeat, vt tunc temporis ad confessionem accedant, quo expeditius, & sine peccati conscientia, & magno cum lucro, sacrum illud exigant tempus, ieiunijs, auditioni verbi Dei, alijsq; pijs operibus vacaturi; cum certum sit mortali peccato, meritum, & fructum spiritualem impediri. Post aliquot conciones, die aliquo celebriore cum populus frequentior adest, aperiat, quamnam irritam reddant confessionem, ita vt eam instaurare necesse sit, dilucide tamen id exequatur ne scrupulum vbi non est opus, iniiciat, Moneat si qui non recte confessi sint, vt de integro confiteantur, laudetq; generalis confessionis vsum etiam sine necessaria causa, ijs præsertim, qui id nunquã præstiterunt. Eleemosynas in vsus pauperum serio commendat persuasum habens, quo frigidius, ardentiusue hanc ipse sui muneris partem aget hoc plus minusue populū collaturū. Absit tñ immodica

conten-

contentio; & quaedam quasi uis quae non modo molesta est auditori, sed interdum quamdā ambitionem prodit concionatoris, tanquam ambiat nomen, & eleemosynas pinguis, & uberioris, quam alij corrogantis. Plurimum igitur caueat ne dum miserorum inopia succurrit, suo se ipse fructu defraudet. Pro concione, bis terue in quadragesima excitandi sunt auditores ad seruandum integrè ieiunandi præceptum, ne animam despondeant, sinantque se gula superari, ut Esau lentis edulio. Persuadeat quoque ut qui non solent per annum qualibet hebdomada communicare, in Quadragesima saltem id præsentent, & experiantur aliquando, quantum ex Sacramentis frequentandis proueniat, in hominum animis emolumentis, & iucunditatis. Constat enim multos antequam experirentur rem existimare difficilem qui post experimentum, vix vlla possunt hebdomada toto ipso anno abstinere, Castiget eorum segnitiam qui annuam confessionem in hebdomadam sanctam rejciunt, quando vix commodè possunt à confessarijs audiri, & saepe sunt invalidae confessiones. Id quidem argumento esse potest de vitæ suæ emendatione eos minimè laborare. Et sanè omnem operam deberet verbi Dei prædicator adhibere, ut probe intelligeret populus vniuersus, quam sit Christiano homine dignum ad sacramenta confessionis, & communionis accedere, octauo quoque die, cum sit confessio ad expurgandum animam à vitijs, tam efficax remedium, Eucharistia verò ad diuinum amorem, omnemque Christianam perfectionem tam salutare præsidium. Si consuetudinem induere hanc poterit, etiam si alium nullum ex suis concionibus fructum ferat, hoc vno præponderari ceteros omnes haud dubitet. Hunc si minus obtineat parum se perfecisse arbitretur. Mox eadem peccata redibunt. Orationis studium cuius tanta in scripturis laus extat, tanta in populis necessitas, iterum, iterumque commendat, quotidianum & frequentem usum eius persuadere conetur, doceatque praxim, & modum. Absoluta priori parte concionis, saepe moneat aliqua ex his, quæ alibi monenda posuimus.

Sæpe agat
contra peccatum.

Octauo intelligat pugnandum sibi esse acerrimè contra peccatum mortale, in quod saepe inuehatur; magnamque esse utilitatem existimet si populus ex quadragesimæ concionibus cognoscere possit, quanta sit peccatorum indignitas, ac turpitudine; cum liquido constet illud posse dici de multis, quod S. Iob dolenter ait, Bibunt quasi aquam iniquitatem; atque vtiā

E e e non

non & illud verè diceretur . Gloriantur cum male fecerint , & exultant in rebus pessimis . Bone Deus , quid agimus nos verbi Dei præcones , si tantam hominum nequitiam non dolemus , non indignamur , non collachrimamur ? Si non magno animi ardore viribusque totis collaboramus , ut quisque agnoscat quam horrere debeat , vel ipsum peccati mortiferi nomen dicatque Postquam ostendisti mihi , egi penitentiam , & percussisti femur meum ? Quamobrem arbitror hac in re oportere singularem esse concionatoris industriam & zelum , ut hoc penitus in populi animos descendat . Non desunt multæ occasiones ad vtiliter hac de re apteque dicendum ; hac de causa supra proposui multos locos , ad excitandum odium peccati , ac penitentiam . Sed præter hæc , quibus vniuersè in peccatum inuehitur , si cognouerit in ciuitate esse , qui odia , & inimicitias exercent qui concubinis impliciti sint , qui pecunias forori dent , qui iuramentis , & blasphemijs , qui ludis vetitis sint dediti , qui famæ , aut bonorum alienorum restitutionem negligant , qui contractus illicitos ineant , qui turpes amores foueant , his , & eiusmodi peccatis , ut maxime locus postulat radicitus extirpandis , diligenter animum intendant , eorum turpitudinem ostendendo , ac varijs modis perniciem inculcando , & opportuna cuique adhibendo remedia . Grauis quidam Concionator , quæ dragesimæ initio , Romanis auditoribus proposuit , se contra statuat , quam ob oculos proposuerat sibi animum esse inueniendi , solebat autem , post cuiusque rei subtiliorem explicationem , antequam conuerteret orationem ad instituendos corruptos hominum mores , hæc aut similia usurpare . Age verò conuertamus sermonem ad nostram statuat , tum in eam verborum suorum iacula contorquentem , & vitia nunc hæc , nunc illa pro loci opportunitate ferientem vidisses . Coniuncta est autem cum peccati insectatione , cura excitandi ad penitentiam , ad lachrymas . Licet autem vituperanda sint , ac detestanda omnia prorsus peccata , nolim tamen orationem nostram omisis grauioribus , in leuioribus crebrius occupari . Quidam per totam ferè quadragesimam , nil magis , & crebrius insectatus est , quam quod nobiles femina longa traherent syrmata , alius , quod crinem super frontem , & caput turrium instar attollerent . Optimum quidem erit huiusmodi etiam luxum insectari . Cæterum si hoc quidem sæpius fiat , grauiora verò scelerum eorumque occasiones dissimulentur , nec frequenter arguantur , laudari non potest : præsertim quod cognitum compertumque ;

Hier. 31.

216
1711
1712

peruincque nobis est, mulieres si vnum vanitatis genus omittant, aliud deuo excogitare. Meminerit quoque eorum, que in reprehensionibus seruanda esse supra notauimus.

Præter Conciones ordinarias alia opera pia præstanda. Cap. XXI.

Nono Præter matutinas conciones, quæ tota quadragesima quotidie habentur, in plerisque ciuitatibus visu receptum est, vt sexta feria, vel alio hebdomada die, ad excitandam populi pietatem per dimidiatæ hora spatium aut etiam minus de Dominica passione habeantur vespere sermones. Multumque præderit si Sacratissimum Christi corpus per id tempus sit expositum ad adornandum, & pius aliquis concentus ante, & post adhibeatur, qui & inuaret auditores, & moueat. Alicubi libenter postrema diei hora, ter in hebdomada, audito campanæ signo, conueniebat populus in templum ad orationem coram Sanctissimo Sacramento; quibus diebus vna ex confraternitatibus solenni supplicatione vicissim intererat; breuis sermo habebatur, & puncta aliqua recitabantur ad vsum meditationis; simulque Sanctorum Litania decantabantur. Pia hæc consuetudo perutilis est, vt non ore solum, & voce, sed animo, & cogitatione populus orare assuescat. Porro consideret conuicator, consulatque Prælatum & alios an expediat instituire, aut renouare aliquam sodalitatem, & confraternitatem earum, quæ pijs operibus vacare solent ad suam, & aliorum utilitatem. Optima esset, si qua hoc nomine institueretur vt sodales frequentius sacramenta suscipere, præscriptis ijs regulis, & legibus, quæ forent loco, ac tempori accommodata. Præterea vbi non esset deberet institui congregatio, ex his quibus cura esset festis diebus, docere pueros, & puellas doctrinam Christianam, cuiusmodi multæ sunt optimis legibus tota Italia constituta. Etiam curandum videtur vt sint qui inopiæ succurrant, familiarum præpudore non mendicantium, & pudicitia puellarum ob egestatem periclitantium, & pueris, ac puellis orphanis per urbem misere vagis, & nocte sub porticibus cum periculo magno iacentibus. Aliqua esset præsertim ex nobilibus excitanda sodalitas ad paces conciliandas, vel certe id muneris alicui iam excitatæ posset adiungi. Opus quod visitandis Nosocomijs, vel carcere detentis, & infirmis adiuuando impenditur inter magna Christianæ professionis opera haberi

Conuentus ad orationem.

Congregatio Doctr. Christianæ.

Qui visitent familias inopum.

Sodalitas ad conciliandos discordias.

Qui visitent hospitalia, & carceres.



beri debet, ac ſerio omnibus commendari. Quod ſi effici poterit, ut ſodalitas aliqua ſuſcipiat, curetque, ut miſeri illi iuuetur in calamitatibus, & animi & corporis utilitas non maior ijs qui inuiſentur, & iuuabuntur, quam inuiſentibus, & iuuantibus ipſis exiſtet. Solent in magnis ciuitatibus à flagitioſa vita reuocari aliqua deperdita muliercula, quæ quoniam non facile inueniunt, quò confugiant, ſæpe in eaſdem peccatorum occaſiones reuoluantur, propterea còmodum eſſet habere Refugij domum, in quam ſeſe poſſent recipere, quoad vel in monaſterium conuerſarum, tranſirent ſi uellent, uel aliquòd ipſis remedium opportunè daretur. Noui ego hominem priuatum qui ſuis ſumptibus ad hoc, & ipſam domum deſtinarat in qua ſemper nonnullis id genus mulieribus victum ſuppeditabat, & matrònã grauem, ac ſpiritualem, elegerat quæ earum mulierum curam gereret. Multis in locis conſuetudo iam eſt, ut ſub quadrageſimæ ſinem initio hebdomadæ ſancta iſtituatur publica quadraginta horarum ſupplicatio in templo, quo tota ciuitas ſtatutis horis, per parçias diſtributa conueniat, ubi breuiſculi ſermones habentur à multis, uel ad recolendam Dominicæ paſſionis acerbicatem, uel ad excitandum peccatorum dolorem, hoc quoque ad ſalutem, pietatem, ac fructum ualet. Proximis quoque ante cineres diebus bacchanalibus quibus multi liberiori uitæ habenas laxant, iam ſancta inducta eſt conſuetudo multis in locis celebrandi ſoleni pòpa, eodem modo quadraginta horarum orationem varijs adhibitis ſermonibus muſicoque concentu, ad auertendos cinium animos ab indecoris ſpectaculis, & in chriſtiano officio còtinentendos. S: Carolus Borromeus ſolebat per eos dies, in diuerſis parçijs ſacriſſimæ Eucharitiæ communionem cum ſoleni apparatu, magnoque fructu ſuarum ouium miniſtrare. Egregia ſanè induſtria, ac digna, quam omnes imitentur Epifcopi. Hæc à me hoc loco enumerata ſunt exempli gratia. Ad prudentiam uerò concionatoris pertinebit, diiudicare ſi quid ad ædificationem illius populi faciãt, idque ſue conſilio prælati aut aliorum præſtare non debet. Vbi uero, hæc pia opèra inſtituta ſunt, animandi ſunt, ut omnes quod agunt, bene agant, iuxta prouerbium Age quòd agis.

Domus refu-
gij.

Refugij

Oratio qua-
draginta ho-
rarum.

Conſuetudo
Doctr. Chri-
ſtiane

Oratio
quadragesima

Conſuetudo
Doctr. Chri-
ſtiane

Conſuetudo
Doctr. Chri-
ſtiane

Circa

Circa peculiare Conciones aliquas. Cap. XXIII.

Vltimo loco quedam adijciam, quæ quamuis minutiora videri queant, non erunt tamen, nouis præfertim concionatoribus inutilia. In primis quadragesimæ concionibus habeat aliqua paulo diligentius selecta, quibus præstare studeat accuratius tria Christiani oratoris officia, & prudenter ad auditorum ingenium se accommodet. Solent enim curiosius initio audiri noui concionatores: deque ijs iudicium ab omnibus fertur in magnis ciuitatibus, præfertim ad quas, plures concio naturi conueniunt. Quod si tunc redoleant conciones nostri oratoris Dei gloriam, & sanctum animarum zelum, ac ferueat ardor spiritus, optimum arbitretur se spiritualis ædificij iecisse fundamentum; Hortetur omnes ipso die cinerum, ad suscipiendum ieiunandi onus alacriter; nec necessarium est explicare singillatim omnes conscientia quæstiones, circa hoc qui nam teneantur hoc præcepto, qui excusentur. Illud denuntiare magis poterit, cauendum nè quod vesperi gustare permissum est, degeneret in paruam cœnam. Feria sexta cinerum diligenter habeat parata quæ ad conciliandos inimicorum animos valent. Est enim res magni momenti vt odia, & inimicitia, si quæ sunt in loco tollantur, quod si aliquos sciat dissidentes, hortetur etiam viros nobiles pro suggestu vt libenter pacis ineunda sint administri, quod est Angelorum munus. Nec esset inutile referre, quod alicubi ego ipse obseruauit Principio quadragesimæ, primarijs aliquot viris, publica magistratus autoritate demandatur, christianum hoc munus pacificandi dissidentes qui sunt in ciuitate, quorum mihi nomina, vt ex suggestu publicæ tradita sunt. Feria secunda post primam Dominicam, paratam habeat vtilem concionem de supremo iudicio, deque reddenda Deo ratione, Ea verò fructuosa dicenda est, quæ tantum timoris ingeneret, vt absterreantur homines à peccatis. De confessione acturus non expectet extremam quadragesimæ hebdomadam; ne populus minus in tēpore edoceatur, & hinc sumat occasionem annuam confessionem differendi in illud tēpus. Posset de ea tertia Dominica in qua Dæmonium mutum expellitur, commodè, priori saltem concionis parte tractare. Et verò confessio quid aliud est, quam muti Dæmonis eiectio? Quia verò non posset, eo die, quod vtile iudicauerit absolvere, quia etiam de historia Euangelica dicendum aliquid esset, po-

Initio Quadragesimæ.

Primo die Cinerum.

Feria sexta Cinerum.

Feria secunda Dominicæ primæ.

De Confessione loquatur.



Cōmunio ad
Dominicam
quartam.

omnib.
multisq;

omnib.
multisq;

omnib.
multisq;

Dominica
quinta Qua-
drageſima.

Materia de
prædeſtina-
tione.

omnib.
multisq;

ſtero die vel alio, quæ placuerit addat, vt populus bene inſtrua-
tur, maturèq; ſe comparet, & confeſſionis vſum tam facilem,
tam efficacem, tam vtilem, libentiſſimis animis amplectatur.
Eadem Dominica tertia poſſet inuitare populum ad conuiuiū
Sacraſſimæ Euchariſtiæ in ſequentem Dominicam, vt omnes
nimirum quo die Chriſtus multiplicatis panibus multa homi-
num millia refecit, ad Sanctiſſimū Chriſti corpus religioſè ac-
cedant. Audiui multos hoc eodem die, de prouidentia Dei,
verba facientes, quæ quidem materia grauis eſt, & vtilis eſſe
poſteſt, ſi ad mores accommodetur, excitetq; fiduciam in Deū,
vt alibi monuimus, ac explicet quam benigne Deus protegat
ſuos, ſi autem ſcholasticorum more tractetur, vt ab aliquibus
fit differentibus, quid fit prouidentia, an illi cuncta ſubiaceant,
cæteraque id genus, non videtur neceſſaria neque vtilis tracta-
tio. Si quis eo die priori saltē parte ageret de Sanctiſſimo Eu-
chariſtiæ conuiuiō, quod Chriſtus toti Eccleſiæ in deſerto hu-
ius noſtræ peregrinationis dedit, & oſtenderet quantus ex fre-
quentatione, huius diuinifſimi Sacramenti vt olim Eccleſiæ
naſcentis exordio, ad nos fructus promanet, vtile quid certè
proponeret ad excitandam in populo pietatem. Quod ſi vt fu-
ſius ea de re ageret, poſtridie alia vellet addere, non eſſet mo-
leſtus. Dominica quinta quorſdam audiui ſerio, & fuſius di-
ſputantes an Chriſtus peccare potuerit. Proculdubio valdè in-
utilis populo, hæc quæſtio eſt, qui de Chriſto Domino rectè ſen-
tit certumque habet nullo modo peccare potuiſſe. Vtilius eſſet
de peccati agere granitate, quæ res non ſolum valdè fructuoſa
cenſeri debet, ſed etiam apprime grauis. Feria quarta poſt quin-
tam Dominicam, ſolet haberi concio à quibusdam, de præde-
ſtinatione propter ea, quæ Dominus de ſuis, & non ſuis omnibus
dicit, quæ profectò materia haud facile explicari ex ſuggeſtu cū
fructu poſteſt, niſi quis putet, de prædeſtinatione agere, nihil
eſſe aliud, quam docere eum, qui bene operatur ſaluandum,
qui malè, dammandum, vt ego aliquando audiui. Hoc quidem
fateor eſſe facillimum, & commodè explanari poſſe; at non eſ-
ſe hic nodum difficultatis, docti viri optimè intelligunt. Illud
etiam ſcio, aliquos ex auditoribus poſt huiusmodi diſputatio-
nem retuliſſe turbatam ſibi conſcientiam, facile enim Damon
ſumpta occaſione ſuggerit ea, quæ incautos homines & impe-
ritos, in anguſtias, & periculoſas Syrtis impellant: quare, & ſi
D. Auguſtinus aliquando docet quomodo hæc materia pro con-
cione tractanda ſit, vtilius tamen diſſimulanda, & ipſis Theo-
logo-

logorum scholis relinquenda videtur. Quinta Feria sequenti, quia legitur historia conuersionis mulieris, quæ erat in ciuitate peccatrix; adhibeat concionator eam diligentiam vt concio sit bene instructa ad commouendos eorum animos, qui in peccato viuunt, præsertim incontinentiæ, & earum mulierum, quæ prostituta turpem sui corporis quæstum faciunt. Nouimus aliquos concionatores eo die multas harum animarum è ceno libidinis, ad poenitentiam reuocasse. Enim vero non exiguum vim habent, lachrymæ suspiria, ac gemitus Magdalena, maximam vero eiusdem preces, & vox Domini præparantis ceruos vel vt alia legit versio parere facientis ceruas. Pridie eius diei, Auditores oret si videbitur utile, vt ipsorum opera interfint, huiusmodi femina, futura concioni, tum B. Magdalena, atque ipse Deus Dei opem imploret, vt verba cor penetrent, ne malo suo merito fructus impediatur. Dominica palmarum audiui aliquos per totam concionem de Regno Christi, seu triumpho dicentes, disputando, de natura, & conditionibus regni eius, ex scriptura, & theologis, quæ quidem grauis quæstio est, sed non in speculationibus sermonè occupari, præsertim quod eo die, confluere ad concionem solet populus ferè vniuersus, qui instruendus potissimum moribus est, ac populari doctrina, qua ad virtutis amorem accendatur. Hoc autem semper obseruandum esse iudico, cum maior est populi frequentia, vt etiam sermo qui habetur, nimirum sit vulgi intelligentiæ accommodatior. Concio quæ de passione Domini habenda est commodè in duos si cui placet diuidi potest sermones, quorum alter feria quarta. Alter feria sexta habeatur, & in ipso parascenes die, fiat diluculo, quod quidem tempus opportunius est, quam si fiat die Iouis vespere, quo per id tempus, diuina celebrantur officia, & per templa ciuitatis discurrunt vniuersi, ad Christum in sepulchris adorandum. Sæpè etiam accidere solet, vt ad noctem absoluta concio, aliquid confusionis pariat, & incommodi. Modus autem tenendus, in hac concione, ad commouendos animos ad pietatem, est vt non omittatur hystoria, sed quæ eius partes adhibitis amplificationibus pijs proponantur, sit vox non coacta, sed sponte fusa, naturalis, & lenis, non cum vociferatione pronuntiatio, non præceps locutio; sed æquabilis, & suavis. Finis verò huius concionis est, non indignationem in ludæos (qua in re aliqui frustra laborant) sed excitare odiū in peccatum; amorem, & commiserationem in patientem Deum. Representationes quædam eo die fieri solita, debent multum

Feria quinta
Dom. Quæ-
dragesimæ.

In diebus
quibus

In Dominica
palmarum.

Concio de
passione
Christi.

habere grauitatis, ac decori pro rei de qua agitur dignitate. Post exordium opportunè ostenditur crux & adoratur, & in ipsa peroratione effigies Christi Crucifixi. Alia nonnullis addere placuit quæ mihi nec laudare in animo est, nec omnino vituperare. Videndum est nè risus pro lachrimis excitetur: cui bene succedit res, si cum grauitate ac pietate omnia faciat, & cum fructu, ac animarum conuersione, non video cur magno pre sit prohibendus. Ipso die sancto Paschatis, abstinendum est à ridiculis quibusdam facetijs, & somniantium deliramentis, quæ leuissimi quidam concionatores induxerunt contra loci, & Euangelij maiestatem. Ferijs autem paschalibus hortetur populum concionator, vt reliquo anni tempore concionibus, si quæ fuerint interſit, & si vitam omnem sine vlla peccati labe traducere optet, Sacramenta Confessionis, & communionis frequenter adhibeat. Tertiò post pascha die, commodum erit populum inuitare ad Sanctissimæ Eucharistiæ perceptionem de nouo repetendam sequente Dominica, quæ celebritas solennior esset, si ipsemet Antistes rem diuinam publicè faceret, & vniuerso populo Sanctissimum Christi corpus porrigeret, eodemque die haberi Concio posset.

Absolutis omnibus quadragesimæ concionibus si concionator sit discessurus, animaduertat, an ad perficiendum aliquod opus inceptum, vel adiuuandos aliquos qui se in hunc finem adierint, desideretur ipsius opera. Quod si ita est perficiat, quæ necessaria videbuntur antequam discedat. Hæc circa conciones quadragesimæ occurrebant. Facile est inuentis addere. Meliora ipsis concionatoribus in mentem venient. Mihi animus fuit sapientibus quasi digito commostrare viam, vt eam alacriter ingressi, videant multa, quæ ipse non vidi. Idem planè dixerim de tota concionandi prudentia, atque adeo de concione, & concionatoris persona totoque hoc diuino munere, quod si quid in hoc opere bene dictum est, meum non est. Quæcunque vero alicui videbuntur ad rem non facere, vel melius dici debuisse, illa mihi adscribat. Ego tria hæc minuta in Domini Gazofilacium reposui, non mea voluntate, sed meorum superiorum iussu. Vtinam sit aliquid, quod in nominis leſu gloriam in Concionatorum vtilitatem, & Ecclesiæ Christianæ beneficium cædat.